Class 281.3 Book T376h.5
General Theological Seminary Library
CHELSEA SQUARE, NEW YORK

FLORILEGIUM PATRISTICUM

DIGESSIT VERTIT ADNOTAVIT

GERARDUS RAUSCHEN
DR. THEOL. ET PHIL., SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE BONNENSI
PROF. P. O.

FASCICULUS XI

TERTULLIANI DE BAPTISMO ET PS.-CYPRIANI DE REBAPTISMATE RECENSIO NOVA

BONNAE
SUMPTIBUS PETRI HANSTEIN
MCMXVI

281.3
T 279 Gr
87682 a

J. N. 467.

Imprimi permittitur.

Coloniae, die 3. m. Februarii 1916.

Dr. Kreutzwald,
Vic. Archiepiscopi Generalis.

Alle Rechte, insbesondere das der Übersetzung in andere Sprachen, vorbehalten.

Copyright 1916 by Peter Hanstein.

Tertulliani liber De baptismo nullo codice manuscripto, sed sola editione principe Gangnei nobis traditus est. — Anonymi libri De rebaptismate duo codices vetustiores exstabant: Remensis, ex quo Rigaltius et Baluzius librum ediderunt, et Vaticanus, quem Labbe, Actorum conciliorum editor, in manibus habuit; sed uterque hic codex postea deperiit. Adsunt autem hodie in bibliotheca Vaticana huius libri duo codices saeculi XVII., quorum conlationem confecit primus, quantum scio, Hans von Soden. Hac conlatione ad meam editionem adparandam mihi uti licuit, pro quo beneficio viro nobilissimo et doctissimo etiam hoc loco gratias ago ex animo maximas.

Scripsi Bonnae kalendis maiis MCMXVI.

ARGUMENTUM.

Prolegomena pag.
I. Tertulliani De baptismo 1
II. Ps.-Cypriani De rebaptismate
§ 1. De huius libri textu consilio argumento 3
§ 2. De tempore et patria auctoris 7
§ 3. Editiones 14
Tertulliani De baptismo 16
Ps.-Cypriani De rebaptismate 42
Index verborum 74

PROLEGOMENA.

I. TERTULLIANI DE BAPTISMO.

1. Librum De baptismo Tertullianus anno circiter 200 edidit, quo tempore adhuc cum catholicis faciebat; nam nihil in eo Montanismum sapit et in c. 17 auctoritas episcoporum acerrime defenditur. Quaedam sane in hoc tractatu nobis satis dura et aliena videntur, ex. gr. in c. 17 mulieres conferre baptismum vetat auctor et in c. 18 baptismum et parvulorum et virginum et viduarum procrastinandum esse docet; sed haec magis ex inportunitate et inmoderatione auctoris[1] et ex severitate veteris ecclesiae quam ex disciplina Montanistarum intellegenda sunt. Quod auctor in c. 17 baptismum haereticorum invalidum esse defendit, convenit traditioni ecclesiae Africanae, quam testatur s. Cyprianus[2].

Occasionem libri scribendi femina quaedam 'de Gaiana haeresi' dedit, quae doctrina sua gnostica baptismum eo tempore in Africa destruebat (c. 1 et 17). In fine libri auctor competentes mox baptizandos adloquitur et orat, ut etiam sui peccatoris meminerint; quare ad hosce potissimum instruendos et confirmandos librum ab eo compositum esse verisimile est.

[1] Tert. de pat. 1 (p. 1, 19): miserrimus ego semper aeger caloribus inpatientiae. Hieron. ep. 84, 2: Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut eius scripta probant, cumque eristici et ardentis viri delectetur ingenio Montanum cum illo Maximillamque non sequitur. — [2] Ep. 73, 3: Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab haereticis ad ecclesiam veniant, quando anni sint iam multi et longa aetas, ex quo sub Agrippino (anno fere 220) bonae memoriae viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint.

2. Haec vero libro continentur:

In c. 1 propositum auctoris proponitur et causa scribendi.

Aqua dilui mortem mirum non est, quia opera divina super omnem admirationem sunt (c. 2).

Vis et gratia aquae ex multis, quae operatus est deus inde ab origine mundi, elucet (c. 3).

Dei invocatione aqua sanctificata vim sanctificandi combibit (c. 4).

Etiam in cultu ethnicorum aquae multum tribuitur, et mali angeli eiusdem elementi commercium in perniciem hominis frequentant (c. 5).

Ex aqua, qua delicta abluuntur (c. 6), egressi de pristina disciplina perungimur (c. 7); deinde manuum inpositione spiritum sanctum consequimur (c. 8).

Figurae baptismi in vetere testamento multae inveniuntur. Etiam Christus 'numquam sine aqua', ex. gr. dum aqua tinguitur, in Cana aqua prima rudimenta potestatis suae auspicatur, aquam discipulis ministrat ante mortem (c. 9).

Baptismus Iohannis divinus fuit mandato, non autem potestate; nam neque remissionem peccatorum neque spiritum sanctum operatus est (c. 10).

Apostoli ante Christi resurrectionem solo baptismo Iohannis sine remissione peccatorum baptizaverunt (c. 11).

Post resurrectionem Christi baptismus omnibus necessarius est; at de salute apostolorum, qui fortasse numquam tincti sunt, dubitari nequit (c. 12. 13).

Verbis s. Pauli 1 Cor. 1, 17 necessitas baptismi non adimitur (c. 14).

Baptismus haereticorum non valet (c. 15).

Alterum lavacrum est sanguinis; hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit Christus (c. 16).

Etiam laici baptizare possunt, si urget necessitas; mulieres autem potestatem tinguendi non habent (c. 17).

'Pro cuiusque personae condicione ac dispositione, etiam

aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos' (c. 18).

'Diem baptismo sollemniorem pascha praestat; exinde pentecoste ordinandis lavacris laetissimum tempus est; ceterum omne tempus habile baptismo' (c. 19).

'Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro delictorum'. Epilogus (c. 20).

3. Libri De baptismo nullus codex manuscriptus iam exstat. Textus, qui editione principe Iohannis Gangnei traditus est (Tert. opera, Parisiis 1545), vitiis non liber, at melior est quam textus libri De pudicitia, id quod non ex maiore diligentia editoris, sed ex ingenio simpliciore et temperatiore operis explicandum est. Quae Gelenius (ed. Basileae 1550) et Pamelius (ed. Antverpiae 1579) ad librum De baptismo contulerunt, parvi pretii sunt, quia alterum codicem ad manum non habebant. Nostris temporibus textui emendando laborem inpertivere inprimis Franciscus Oehler (Tertulliani quae supersunt omnia, vol. I, p. 619—640, Lipsiae 1853) et Reifferscheid-Wissowa (Tert. opera, pars I, p. 201—218, Vindobonae 1890); pauca temptaverunt Guil. de Hartel (Patristische Studien IV, in: Sitzungsber. der kais. Akademie der Wiss., phil.-hist., vol. 121, Vindobonae 1890, p. 6—14) et Aemilius Kroymann (Quaestiones Tertullianeae criticae, Oeniponte 1894, p. 74—79).

II. PSEUDO-CYPRIANI DE REBAPTISMATE.

§ 1. *De huius libri textu consilio argumento.*

1. Tractatum, qui inscribitur De rebaptismate, primus typis expressit Nicolaus Rigaltius in editione sua operum s. Cypriani (Parisiis 1648) post epistulam 74 eiusdem sancti episcopi; hoc enim loco legebatur in vetere codice manuscripto monasterii s. Remigii Remensis. Edidit vero Rigaltius tracta-

tum ad apographum, quod ex codice illo nunc deperdito Sirmondus confecerat, satis mendose, ut patet ex nova editione Baluzii[1], qui adnotat: 'Nos illum (tractatum) contulimus cum eodem libro veteri et ex eius fide emendavimus et supplevimus ea, quae aut male posita erant aut omissa in editione Rigaltii'. Dolendum autem est magnopere, Baluzium non diligenter adnotasse, quas lectiones in codice invenisset et quas ipse coniectura enucleasset.

Praeter has duas editiones nunc duo codices manuscripti, recentes illi quidem, ad textum libelli constituendum adsunt: a) Codex Vatic. Reg. lat. 324 (cod. r), medio saeculo XVII. scriptus, ut videtur, a Mabillone[2]; b) cod. Vatic. Barb. 653 (cod. h), a Luca Holstenio († 1661) scriptus, quo Acta veterum synodorum Africae continentur et ante ea, ut primus Hans von Soden vidit, in fol. 5—22 Liber de rebaptismate legitur[3]. Secundum von Soden textus codicis h et ex deperdito codice Vaticano, cuius vir doctissimus Labbe mentionem fecit[4], et ex Rigaltio fluxit ita, ut scriba lacunas et locos obscuriores codicis veteris Vaticani ex Rigaltio suppleverit. At codex r descriptus est ex codice Remensi, a quo deperditus ille codex Vaticanus non multum differebat. Ut ex lectionibus variantibus ipse cognovi et ex antea dictis facile intellegitur, codex h propinquior est textui Rigaltii, codex vero r textui Baluzii.

2. Propositum suum anonymus in capite primo libelli hisce comprehendit: 'Et ideo quaecumque sanctarum scripturarum ad hanc partem pertinentia sunt capitula necessario in unum congeremus, et quae videntur esse diversa aut varia, quantum poterit, manifeste inter se conglutinabimus et utilitatem ac commodum singulorum pro mediocritate nostra exa-

[1] Baluzius et Maranus, S. Cypriani ep. opera, Parisiis 1726; Venetiis 1728. — [2] Ernst, in: Zeitschrift für kath. Theologie, Oeniponte 1898, 179 s. — [3] H. v. Soden, Eine neue Handschrift des ps.-cyprianischen Liber de rebaptismate, Romae 1910. — [4] Acta conciliorum, tom. I, synopsis et col. 770.

minabimus, ut agendi in ecclesia formam et consuetudinem saluberrimam atque pacificam universis fratribus insinuemus'.

Summa autem eorum, quae auctor contra rebaptizationem haereticorum adfert, haec est: Maxime necessarius ad salutem et maior baptismo aquae est baptismus spiritus, id est inpositio manus episcopi ad accipiendum spiritum sanctum, cum Iohannes Baptista dixerit[1]: 'ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni', itemque Iesus et Petrus professi sint[2]: 'Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in spiritu sancto non post multos hos dies'. Haec inpositio manus, si ab episcopo haeretico vel schismatico fit, non valet, quia apud tales spiritus sanctus non est, ideoque repetenda est, si quis ex haeresi vel schismate ad catholicam ecclesiam transierit. At baptismus aquae neque remissionem peccatorum neque spiritum sanctum operatur, etiam in ecclesia catholica[3]; qui differt a baptismo Iohannis nulla alia re nisi quod 'virtus nominis Iesu super quemcumque hominum baptismate invocata ad salutem adsequendam non modicam praerogativam ei qui baptizaretur praestare posset' (c. 6). Neque differt baptismus catholicus a baptismo haereticorum, sed 'debet invocatio haec nominis Iesu quasi initium quoddam mysterii dominici commune nobis et ceteris omnibus accipi, quod possit postmodum residuis rebus inpleri, alias non profutura talis invocatio, cum sola permanserit' (c. 7).

[1] Matth. 3, 11. — [2] Act. 1, 5; 11, 16. — [3] Quid auctor anonymus Libri de rebaptismate de baptismo catholico sentiat, hodie in controversia est. Eandem sententiam, quam supra exposui et quam certam esse censeo, acerrime defendit Iohannes Ernst (Die Lehre des Liber de reb. von der Taufe, in: Zeitschr. f. kath. Theol. 1900, 425—462; Die Tauflehre des Liber de reb., eodem loco 1907, 648—699) eique assenserunt Schüler (Zeitschr. f. wissenschaftliche Theol. 1897, 560 s.) et Lülicher (Theol. Literatur-Zeitung 1907, 508). Alii autem anonymum de baptismo catholico non aliter quam s. Cyprianum et s. Stephanum papam et hodiernam ecclesiam catholicam iudicasse putant; ita Antonius Beck (Kirchliche Studien und Quellen, Ambergae 1903, 1—36) et Hugo Koch (Die Tauflehre des Liber de reb., Braunsberg 1907).

Itaque baptismus haereticorum iterandus non est, 'ne invocatio nominis Iesu, quae aboleri non potest, contemptui videatur a nobis habita' (c. 10). Magis necessaria ad salutem quam baptismus est fides, adeo ut sine fide ne martyrium quidem prosit, fideli autem homini, si qua necessitas intervenit, baptismus aquae atque etiam baptismus spiritus ad salutem deesse possint; in cap. 18 fin. legitur: 'Ex quibus universis ostenditur, fide emundari corda, spiritu autem ablui animas, porro autem per aquam lavari corpora'.

3. Sententiarum ordo Libri de rebaptismate hic est:

Haereticos, qui suppliciter ad ecclesiam catholicam advolant, rebaptizandos esse, vetustissima traditione ecclesiastica negatur; attamen etiam ea, quae ex sacris scripturis ad hanc partem pertinent, congerenda et examinanda sunt (c. 1).

Baptisma spiritale, id est conlatio spiritus sancti, quod Iohannes Baptista (Matth. 3, 11) et Iesus (Act. 1, 5) futurum esse adnuntiaverunt et de quo etiam Petrus apostolus ad Cornelium locutus est (Act. 11, 16; 15, 8), tribus modis fieri potest: et in solo sancto spiritu et in baptismate spiritus et aquae et in sanguine proprio (c. 2).

Illi soli baptisma prodesse potest, cui possit etiam spiritus sanctus inesse; aliquando tamen conlatio spiritus sancti et baptisma divisa sunt, ut exemplum Samaritanorum (Act. 8, 15 s.) docet (c. 3).

Qui post baptismum morte praeveniuntur, ita ut eis ab episcopi manus ad accipiendum spiritum sanctum inponi nequeat, tamen pro perfectis fidelibus habentur et salutem consecuntur. Econtra etiam haereticus, qui in nomine Iesu baptizatus est, per solam manus inpositionem episcopi, dummodo postea credat eumque paeniteat, perfectus fit christianus (c. 4).

'Atque hoc modo non erit dubium, in spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari', id quod etiam ex iis, quae in domo Cornelii coram s. Petro gesta sunt, elucet (c. 5).

Idem exemplo omnium apostolorum demonstratur, qui, postquam baptizati sunt, dominum deserendo admodum peccaverunt (c. 6), atque etiam cum domino ambulantes falsa Iudaeorum more de eo sentiebant (c. 7—9).

Itaque iis, qui ab haereticis baptizati sunt, si resipiscunt, 'tantummodo baptismate spiritali id est manus inpositione episcopi et spiritus sancti subministratione subveniendum est' (c. 10).

Catechumenus, qui, antequam baptizetur, martyrium occumbit, non perit, dummodo ne haereticus fuerit; haereticus enim 'in alium deum vel in alium Christum credendo semet ipsum fefellit' (c. 11—13).

'Homines non solum aqua verum etiam sanguine suo proprio habent baptizari' (c. 14).

Ex 1 Ioh. 5, 8: 'tres testimonium perhibent: spiritus et aqua et sanguis' baptismum trifariam dividi patet (c. 15).

Verba Iohannis Baptistae 'ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni' (Matth. 3, 11) illi male intellegunt, qui dicunt necesse esse 'ut, quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis adpareat' (c. 16). Ad probandam sententiam suam hi libro utuntur ab haereticis confecto, qui inscribitur 'Pauli praedicatio' (c. 17).

Aliis locis sacrae scripturae declaratur 'fide mundari corda ad remissionem peccatorum consequendam' (c. 18).

In fine tractatus auctor se tres potissimum sacrae scripturae locos (Luc. 3, 16; 1 Ioh. 5, 8; Act. 1, 5) interpretatum esse et non infirmam rationem reddidisse consuetudinis causa adserit (c. 19).

§ 2. *De tempore et patria auctoris.*

1. Apud Gennadium (de viris inlustribus c. 27) legitur: 'Ursinus monachus scripsit adversum eos, qui rebaptizandos haereticos decernunt, docens nec legitimum nec domino di-

gnum, rebaptizari illos, qui in nomine simpliciter Christi vel in nomine patris et filii et spiritus sancti quamvis pravo sensu baptizantur, sed post sanctae trinitatis et Christi simplicem confessionem sufficere ad salutem manus inpositionem catholici sacerdotis'. Pro *Ursinus monachus* in vetustissimis codicibus Gennadii legitur *Ursinus homo Romanus* idque edidit novissime Richardson[1].

Gennadium hoc loco de nostro Libro de rebaptismate agere, omnes putant verisimile esse et mea quidem sententia vix dubitari potest. Nam a) revera in nostro libro docetur rebaptizationem et inlegitimam, id est sacrae scripturae et consuetudini ecclesiasticae contrariam, et domino indignam, id est a virtute nominis Iesu alienam esse (c. 7 et 12). b) Auctor nostri libri baptismum christianum semper adpellat baptismum *in nomine Iesu*, ita tamen, ut invocatio nominis Iesu apud eum nihil aliud sit quam formula illa 'in nomine patris et filii et spiritus sancti'; Gennadius sane eum ita intellexit, quasi baptismum in nomine Iesu distinguat a baptismo in nomine ss. trinitatis conlato[2].

[1] Texte und Untersuchungen XIV 1ª (Lipsiae 1896), p. 72. Cfr. etiam Mansi, Sacr. conciliorum coll., tom. I, Florentiae 1759, col. 933: Sed inquies Ursinus Gennadii monachum agebat, vix autem monachos praesertim scriptores reperies aetate s. Cypriani. Quid, si vitiatam Gennadii vulgatam editionem dixerimus admittamusque vetustissimorum codicum lectionem, qui pro 'Ursinus monachus' ferunt: Ursinus homo Romanus? Ita emendat codex Cisterciensis a nuperis operum s. Hieronymi editoribus consultus; ita pariter et m. s. codex Lucensis saeculo VIII. scriptus et a me non raro in supplemento conciliorum laudatus. — [2] 'Baptismum in nomine Iesu' in Libro de rebaptismate eundem esse atque 'baptismum in nomine patris et filii et spiritus sancti' defendit recte Ernst (Zeitschr. f. kath. Theol. 1907, 561 ss.) contra Ant. Beck (Kirchliche Studien und Quellen 1903, 22 ss.) et contra H. Koch (Die Tauflehre 22 ss.). Cfr. De rebapt. c. 7 init.: 'Nec aestimes . . . observari quoque solitum sit', et Cypr. ep. 73, 17: 'Petrus ad eos loquitur et dicit: Paenitemini et baptizetur unusquisque vestrum in nomine domini Iesu Christi . . . Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi pater omittatur, sed ut patri filius quoque adiungeretur'.

2. Auctorem anonymum Libri de rebaptismate episcopum fuisse certum est[1]; itaque lectio Gennadii 'Ursinus monachus' sine dubio falsa est. Sed quo tempore anonymus scripsit? Gennadius, cum eum scriptoribus exeuntis saeculi quarti inmiscet, huic tempori eum adsignat. Cum Gennadio fecerunt Oudin[2], Baluze[3], Routh[4]. At ceteri omnes anonymum temporibus sancti Cypriani scripsisse pro certo habent; ita ex veteribus Rigaltius et Mansi, ex recentibus Harnack[5], Ernst, H. Koch, Schueler[6], Hans von Soden[7]. In hoc solo hodie controversia est, utrum Liber ante epistulas 73 et 74 Cypriani scriptus et Cypriano has epistulas scribenti notus fuerit, an post duas illas epistulas, id est post synodum Africanam, quae fuit kalendis septembribus anni 256, confectus eaque de causa ultimum documentum sit, quod ex contentione Cypriani et Stephani de rebaptismate ad nos usque pervenerit; priorem sententiam acerrime defendit Ernst[8]; pro altera, quae mihi multo probabilior videtur esse, pugnaverunt Schueler[9], Hugo Koch[10], Hans von Soden[11].

3. Equidem mihi persuadere non possum tractatum De rebaptismate temporibus s. Cypriani conscriptum esse eumque cum Gennadio saeculo quarto addicere malo. Hoc ut sentiam, non eo adducor, quod in libris manuscriptis tractatus Ursino Afro tribuitur. Labbe enim in Synopsi voluminis

[1] De reb. c. 4: Cum ita invenitur, quid tibi frater videtur? c. 10: si quidem per nos baptisma tradetur . . . aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum exspectemus. — [2] Commentarius de script. eccl. I, Lipsiae 1722, 1005 s. — [3] S. Cypriani opera, Venet. 1728, 646. — [4] Reliquiae sacrae V²289 s. — [5] Gesch. der altchristl. Lit. I 718. — [6] Hilgenfeld, Zeitschr. f. wiss. Theol. 1897, 606. — [7] Der Streit zwischen Rom und Karthago über die Ketzertaufe, Romae 1909, 29: „Allgemein anerkannt ist jetzt, daß der sehr originelle und kühne Traktat noch zu Lebzeiten Cyprians verfaßt ist, auf den er mit Fingern weist.“ — [8] Zeitschr. f. kath. Theologie 1896, 219 ss.; Theol. Quartalschrift, Tubingae 1908, 582 ss.; 1909, 20 ss.; 1911, 364 ss. — [9] Zeitschr. f. wissensch. Theol. 1897, 576 ss. — [10] Zeitschr. f. neutestamentliche Wissenschaft 1907, 192 ss. — [11] Der Streit zwischen Rom squ. 29 ss.

primi Actorum conciliorum de auctore tractatus haec narrat: 'quem manuscriptus codex Vaticanae bibliothecae docet esse Ursinum monachum Afrum cuius mentionem facit Gennadius[1]. Hic codex periit; at etiam in codice Vaticano Barb. 653 (supra p. 4), ubi tractatus anonymi legitur, titulus eius est: Ursini monachi Afri liber adversus rebaptizantes[2]. Sed hic codicum titulus minimi est momenti, quippe quem a posteriore scriptore ex Gennadio adpositum esse paene certum sit[3].

Neque valde me movet, quod anonymus in c. 1 morem non rebaptizandi 'rem olim compositam et ordinatam' et 'priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium sollemnissimam observationem' vocat et in c. 6 de rebaptizantibus dicit: 'cum sit maximum incommodum et dispendium sanctae matris ecclesiae adversus prisca consulta post tot saeculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione consurgere'? Recte enim Prudentius Maranus[4] de hisce ac similibus anonymi dictis iudicare videtur: 'Colligi ex his verbis non debet auctorem saeculo IV. vixisse, sed tantummodo eum in exaggerando non valde timidum fuisse'. Praeterea *saeculum* apud veteres non semper spatium centum annorum significat, sed saepe idem est ac 'generatio' vel 'genus'; *prisca* autem consulta ea ab anonymo vocantur, quae ab aetate apostolorum valuerunt (cfr. c. 10: contra decretum apostolorum).

Quae autem me movent, ut tractatum quarto saeculo potius quam tertio adiudicem, haec sunt:

a) Sermo anonymi quaedam habet, quae posterioris latinitatis propria sunt: α) Inveni apud eum unum certum exemplum nominativi qui dicitur absoluti, cuius prima vestigia apud Luciferum Calaritanum medio saeculo quarto

[1] H. von Soden, Eine neue Handschrift, p. 6 adnot. 1. — [2] l. l. p. 3—4. — [3] Harnack, Gesch. der altchr. Lit. I 718. — [4] Vita s. Cypriani c. 35 (S. Cypr. op., Venet. 1728, p. XCIII).

exstare testantur grammatici[1]; hoc exemplum legitur in c. 14 ex.: 'Igitur dicens, quemadmodum geminari potest baptisma, quod apostolus unum esse praedicat,. utique manifestum est ea ratione' squ.[2] β) In c. 16 legitur 'quam mox' = 'simul atque', quae lectio nusquam alias occurrit, nisi apud Florum saec. II. loco, quem editores corruptum esse iudicant (I, 20, 2)[3].

b) Et s. *Cyprianus* et *Stephanus* papa persuasum habebant baptismo peccata dimitti hominemque iustificari[4]; hunc effectum Stephanus[5] etiam baptismo haereticorum tribuebat[6]. At, ut supra (p. 5) exposui, secundum anonymum baptismus, si solus manet, id est si manus inpositio episcopi eum non sequitur, peccata non dimittit, eaque sententia anonymus quasi fundamento nititur ad rebaptizationem haereticorum inpugnandam. Iam vero si anonymus, ut omnes fere hodie credunt, aequalis s. Cypriani fuisset eiusque sententiam refellere sibi proposuisset, haec differentia ei exponenda et contra Cyprianum defendenda fuisset; re vera autem eam differentiam non tangit et prorsus ignorare videtur.

c) Non dubito, quin anonymus Cypriani epistulas de rebaptismate scriptas ante oculos habuerit[7] et verbis (c. 1)

[1] Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours, Paris. 1890, 565—567; Schmalz, Lat. Grammatik, 4. ed. Monaci 1910, p. 391 adn. 3; Loefstedt, Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae, Lipsiae 1911, 158 s. — [2] Alterum exemplum minus perspicuum eiusdem nominativi absoluti exstat in c. 7 ex.: 'Idcircoque debet invocatio haec nominis Iesu quasi initium quoddam . . accipi . . . alias non profutura talis invocatio, si sola permanserit'. — [3] De coniunctione *mox* (= simulatque), quae et ipsa posterioris latinitatis propria et apud Luciferum usitata est, agitur Wölfflin, Archiv für lat. Lexicographie XIV 41 et 526 ss. — [4] Cypr. ep. 69, 10—11; 74, 5. — [5] Cypr. ep. 75, 8 init. et 18 init. — [6] Alia erat sententia s. Leonis I. papae, qui ad Nicetam ep. ita scripsit (ep. 159, 7): Nam hi, qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, invocatione spiritus sancti per inpositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. — [7] Maxima est communitas epistulae 73 Cypriani cum Libro de rebaptismate; cfr. exempli gratia ep. 73, 17 'illi quia iam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti' cum De reb. 2 'desciscens a lege id est Moysi antiquissimo baptismate'.

'ut unus homo, quicumque ille est, magnae prudentiae et constantiae esse apud quosdam leves homines inani gloria praedicetur' sanctum Cyprianum notaverit. Sed eum, quem in tractatu suo saepe adloquitur[1], Cyprianum fuisse, demonstrari nequit[2], quamquam is, quem inpugnat, sine dubio episcopus catholicus fuit[3]. Atqui etiam quarto saeculo fieri potuit, ut episcopus catholicus libellum ederet ad usum rebaptizandi defendendum; nam controversia de rebaptizandis haereticis temporibus Cypriani minime in totum dirempta est[4]. Non solum enim saeculo quarto Donatistae, Luciferiani, Eunomiani rebaptizabant, verum etiam in oriente ss. Athanasius, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus haereticos rebaptizandos esse docuerunt, canon 68 Apostolicus definivit: 'ab haereticis baptizati vel ordinati nec fideles nec ordinati esse possunt', synodus oecumenica Nicaena Paulianistas, id est Pauli Samosateni asseclas, etsi teste s. Athanasio[5] genuina formula baptizandi utebantur, rebaptizandos esse decrevit (can. 19); in occidente Optatus episcopus Milevitanus, qui circa annum 370 septem libros contra Parmenianum Donatistam edidit, baptismum haereticorum non valere docuit[6]. Optatus fortasse ille est episcopus catholicus, contra quem Liber de rebaptismate scriptus est.

d) Quaestio, quae de rebaptismate orta est, in Libro de rebaptismate c. 1 *nova* adpellatur. Sane temporibus s. Cypriani magis nova erat quam saeculo quarto. At proprio sensu ne Cypriani quidem aetate nova erat; nam synodi anno fere 235 Iconii et Synnadae in Asia proconsulari habitae haereticos et

[1] Ex. gr. c. 3 in.: 'ad quae forte tu qui novum quid inducis continuo impatienter respondeas ut soles; c. 8 in.: ad haec ut soles contradices; c. 10: sed enim virorum optime reddamus. — [2] Harnack, Gesch. d. altchr. Lit. I 718: Eine direkte Polemik gegen Cyprian ist vermieden, aber indirekt wird er scharf bekämpft. — [3] Cfr. supra p. 9 in. et De reb. c. 1: monstri simile est ipsos episcopos talia scandala cogitare. — [4] Ernst, Die Ketzertaufangelegenheit in der altchristlichen Kirche nach Cyprian, Moguntiaci 1901. — [5] Or. contra Ar. 2, 43. — [6] Ernst l. l. 43 ss.

schismaticos rebaptizandos esse decreverunt, et circa annum 220 septuaginta episcopi Africae et Numidiae praesidente Agrippino episcopo idem censuerunt. Atque etiam nova ea quaestio saeculo quarto dici poterat, si eo tempore, postquam diu quievit, denuo orta est.

e) Inde quod anonymus in capitibus 12 et 13 de martyriis agit, non sequitur eum ante annum 300 scripsisse. Nam saeculo quoque quarto martyria fuerunt, praesertim in Africa, ubi Agonistici seu Circumcelliones, secta Donatistarum, in omne genus crudelitatis contra catholicos eruperunt. Praeterea anonymus persecutionum veterum mentionem facere potuit etiam multo postquam exstinctae erant, ut recte monet Baluzius (p. 646).

4. Quo loco anonymus scripserit, pro certo definiri nequit. Plerique de Africa septemtrionali cogitaverunt, quia ibi usus rebaptizandi maxime vigebat. At Ernst Africam proconsularem et Numidiam excludit, quod anonymus dicit (c. 6) 'post tot saeculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione insurgere' rebaptizantes, Cyprianus autem de episcopis Africae et Numidiae narrat (ep. 73, 3): 'Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab haereticis ad ecclesiam veniunt'; eam ob rem Ernst anonymum in Mauretania scripsisse putat[1]. Iam vero Schueler patriam anonymi Italiam fuisse sibi persuasit, eo quod in reconciliatione lapsorum praecepta Novatiani secutus sit[2]; Hugo Koch autem ostendit, Novatianismi nihil in Libro de rebaptismate inveniri[3].

Mea quidem sententia anonymum in Italia non scripsisse paene certum, in Africa scripsisse valde verisimile est. Nam: a) Homo Italicus in quaestione rebaptizandi ad

[1] Zeitschr. f. kath. Theol. 1896, 244 ss.; Theol. Quart. 1909, 50 ss.; 1911, 374 ss. — [2] Zeitschr. f. wiss. Theol. 1897, 598 ss. — [3] Zeitschr. f. neutestamentliche Wiss. 1907, 214 ss.

auctoritatem Romani pontificis provocasset, cuius anonymus ne meminit quidem. b) Ut Hans von Soden diligenti inquisitione primus cognovit[1], anonymus latina versione sacrae scripturae utitur, quae ad textum Cypriani prope accedit et sola in Africa nobis occurrit, etsi fieri potest, ut etiam in Gallia et Hispania usu recepta fuerit. Cum autem in Gallia et Hispania de rebaptizando disceptatum non sit, anonymus in Africa, id est vel in Africa proconsulari vel in Numidia vel in Mauretania, scripsisse videtur.

§ 3. *Editiones.*

Praeter Rigaltium et Baluzium (supra p. 3) Librum de rebaptismate ediderunt:

Iohannes Fell, episcopus Oxoniensis, S. Cypriani opera, Oxonii 1682 fol. Is textum Rigaltii cum adnotationibus eius iteravit, quaedam vero ipse temptavit, insuper Librum de reb. e genuinis Cypriani scriptis eliminavit et inter 'Opuscula vulgo adscripta Caec. Cypriano' (p. 21—31) reiecit.

Gallandi, Bibliotheca veterum patrum, vol. III., Venetiis 1767, p. 362—370. Is textum et adnotationes ex prioribus editionibus mutuatus pauca ipse coniecit.

Routh, Reliquiae sacrae, vol. V., ed. altera, Oxonii 1848, p. 281—328. Haec editio propter adnotationes, quibus partim res explicantur, partim emendationes textus proponuntur, laudanda est.

Migne, Patrologia latina vol. III.; haec editio nullius meriti est et mendis scatet.

Guilelmus de Hartel, S. Thascii Caec. Cypriani opera omnia (Corpus script. eccles. lat. vol. III.), Pars III.: Cypriani opera spuria, Vindobonae 1871, p. 69—92. Haec editio propter felices aliquot coniecturas in textum receptas ceteris praestat; at adparatus eius criticus, in quo variae lectiones priorum

[1] Der Streit zwischen Rom und Karthago, p. 32.

editionum conliguntur, neque integer neque vitiorum expers est; maxime autem dolendum est, quod Hartelio neque Routhii editione neque codicibus manuscriptis uti contigit.

Equidem praeter editiones, quae hucusque in lucem prodierunt, etiam conlationem duorum codicum Vaticanorum, quam liber baro Hans von Soden, vir eruditissimus et de s. Cypriani scriptis optime meritus, pro sua singulari humanitate ac benevolentia mihi concessit, in usum meum convertere potui. Multos etiam locos textus male traditi propria coniectura emendare conatus sum. Variantes lectiones editionum et Rigaltii et Baluzii et Hartelii omnes, codicum autem manuscriptorum memorabiliores in adparatu adnotavi.

TERTULLIANI DE BAPTISMO.

1. Felix sacramentum aquae nostrae, quia ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur! Non erit otiosum digestum istud[1], instruens tam eos, qui cum maxime[2] formantur[3], quam et illos, qui simpliciter credidisse contenti, non exploratis rationibus traditionum, intemptatam probabilem fidem per imperitiam portant[4]. 2 Atque adeo nuper conversata istic quaedam de Gaiana haeresi[5] vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, inprimis baptismum destruens. Plane secundum naturam; nam fere viperae et aspides ipsique reguli serpentes[6] arida et inaquosa sectantur. 3 Sed nos pisciculi secundum ἰχθύν[7] nostrum Iesum Christum

Signa: B = ed. Gangneius 1445; Gel. = ed. Gelenius 1550: Pam. = ed. Pamelius 1579; Oehl. = ed. Oehler 1853; Reiff. = ed. Reifferscheid 1890. Variantes lectiones editionis principis omnes a me hoc loco adnotantur.

10 *ferae* B.

[1] haec dissertatio. — [2] quam maxime seu praecipue. Aliis locis locutio *cum maxime* apud Tert. significat: hoc ipso tempore (i. e. tum maxime); ex. gr. Paen. 6, 1: sed praecipue noviciolis istis imminet, qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare. — [3] informantur, instruuntur. — [4] i. e.: Qui rationes, cur credant, non inquirunt, fidem bonam quidem, at simplicem neque temptationibus satis probatam habent. — [5] Haec secta erat Gnosticorum antinomistica. Tert. de praescr. 33, 10: 'Sunt et nunc alii Nicolaitae: Gaiana haeresis dicitur'. Hieron. ep. 69, 1 ad Oceanum: Et consurgit mihi Caina haeresis atque olim emortua vipera contritum caput levat, quae non ex parte, ut ante consueverat, sed totum Christi subruit sacramentum; dicit enim esse aliqua peccata, quae Christus non possit purgare sanguine suo. — [6] nostrum: Basilisken. — [7] Ex hoc loco et ex epitaphio Abercii, ubi Christus ἰχθὺς ἀπὸ πηγῆς vocatur, patet aequationem 'Christus = ἰχθύς' iam circa annum 200 in ecclesia notam fuisse; de origine eius et de acrostichide Ἰχθύς = Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ optime egit *Dölger*, Ἰχθύς Das Fischsymbol in frühchristlicher Zeit I, Romae 1910 (Röm. Quartalschrift, Supplementband 17), 8 ss. Etiam Tertullianus acrostichidem noverat, id quod inde elucet, quod pro 'piscem' scripsit ἰχθύν.

in aqua nascimur neque aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Itaque illa[1] monstrosissima, cui nec integre[2] quidem docendi ius erat, optime norat pisciculos necare de aqua auferens.

2. Sed enim quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat! Nihil adeo est quod obduret[3] mentes hominum quam simplicitas divinorum operum, quae in actu videtur, et magnificentia, quae in effectu repromittitur, ut hinc[4] quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua[5] demissus et inter pauca verba tinctus non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio aeternitatis. 2 Mentior, si non e contrario idolorum sollemnia vel arcana de suggestu[6] et apparatu deque sumptu fidem et auctoritatem sibi extruunt. Pro misera incredulitas, quae denegas deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem! Quid ergo? nonne

1 *nascamur* B. — 2 *ita Quintilla* Gel. — *integrae* Reiff. cum Junio. — 7 *est quod tam* Reiff. cum Ursino. *Adeo ... quam* etiam legitur De virg. vel. 5: Adeo separatum est nomen a prophetia quam (edd.: quantum) et ab ipsa persona (ita Hartel). — 9 *videntur* Urs. Oehl. — 10 *hic* Gel. Reiff. — 11 *aquam* Reiff. cum Junio; cfr. c. 7: in aqua mergimur. — 15 *de quo* B.

[1] Pro 'itaque illa' apud Gelenium legitur 'ita Quintilla', quod probat Bardenhewer (Gesch. der altkirchl. Lit. II[2] 412 not. 1). Quintillam, quae erat e secta Montani et de qua agit Epiphanius haer. 49, a Tertulliano monstruosissimam adpellatam esse equidem non credo. — [2] i. e.: Ne recte quidem docendi ei mulieri ius erat, quod ex 1 Cor. 14, 34 solis viris competit; vide infra c. 17. De adverbio *integre* cfr. Apol. 46, 7 necessario adpetunt et integre praestant; 48, 13 qui non integre ad deum; Res. carn. 54 (p. 113, 7) et intregre intelleges; Ux. II 1 quodsi integre sapis. — [3] i. e. ad non credendum. — [4] Sensus est: 'ut hinc quoque, i. e. etiam hac de causa, eo incredibilior existimetur consecutio aeternitatis'. Pro 'incredibilior' scripsit Tert. pro more suo 'incredibilis' (cfr. Hoppe, Syntax u. Stil Tertullians, Lipsiae 1903, 102); Test. an. 5 (p. 140, 15): Haec testimonia animae quanto vera tanto simplicia, quanto simplicia tanto vulgaria. — [5] Saepe apud Tertullianum *in* c. acc. et *in* c. abl. inter se permutantur (Hoppe l. l. 40 s.). — [6] de ornatu.

mirandum et lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum. Si[1] quia mirandum est, idcirco non creditur? Qualia[2] enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Ceterum incredulitas miratur, non credit; miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. 3 Et sit plane ut putas, satis ad utrumque divina pronuntiatio praecucurrit. Stulta mundi elegit deus, ut confundat sapientiam eius[3], et praedifficilia penes homines facilia penes deum. Nam si deus et sapiens et potens, quod etiam praetereuntes eum non negant, merito in adversariis sapientiae potentiaeque, id est in stultitia et inpossibilitate, materias operationis suae instituit; quoniam virtus omnis ex his causam accipit, a quibus provocatur.

3. Huius memores pronuntiationis tamquam praescriptionis[4], nihilominus quam stultum et impossibile aqua reformari tractamus. Quid utique ista materia tantae dignationis meruerit officium, ut opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima suppetit et quidem a primordio. 2 Nam unum ex his est, quae ante omnem mundi suggestum[5] impolita adhuc specie penes deum quiescebant. In primordio, inquit, fecit deus caelum et terram. Terra autem erat

2 ita ego, *Atquin eo magis credendum est qualia* B, *Atquin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia* Oehl. Reiff. — 12 *in possibilitate* B. — 14 *scriptionis* B. — 15 *a qua* B. — 16 tantae] *et ante* B. — 17 ita Hartel, *officium? ut* Oehl. Reiff. — *alimenti* B. — 20 *quiescebat* B.

[1] Si = num; cfr. Hoppe p. 73. Unum exemplum se invenisse dicit Hoppe, ubi Tert. interrogationem, quae dicitur, directam incipiat a particula *si* (Res. carn. 29, p. 66, 18: et ait ad me: Fili hominis, si vivent ossa ista?); equidem alterum exemplum adferre possum, simillimum loco De bapt. 2: Pud. 21, p. 270, 1: Si quia dixerit dominus Petro . . . idcirco praesumis et ad te derivasse?). — [2] Quod scripsere editores: 'Atquin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur' sensu caret, nisi pro 'credendum' emendetur 'mirandum'. — [3] 1 Cor. 1, 27. — [4] nostrum: Vorschrift, Grundsatz. — [5] cultum vel ornatum.

invisibilis et incomposita et tenebrae erant super abyssum et spiritus domini super aquas ferebatur.[1] Habes homo inprimis aetatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. Nam et tenebrae totae adhuc sine cultu siderum informes et tristis abyssus et terra inparata et caelum rude; solus liquor, semper materia perfecta, laeta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum deo subiciebat. 3 Quid quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis constitit? Nam ut firmamentum caeleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit; ut terram aridam suspenderet, segregatis aquis expediit. 4 Ordinato dehinc per elementa mundo cum incolae darentur, primis aquis praeceptum est animas proferre; primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquae animare[2] noverunt. 5 Non enim ipsius quoque hominis figurandi opus sociantibus aquis absolutum est? De terra materia[3] convenit, non tamen habili nisi humecta et sucida, quam scilicet ante quartum diem[4] segregatae aquae in stationem suam superstite humore limo[5] temperarant.

6 Si exinde universa vel plura prosequar, quae de elementi istius auctoritate commemorem, quanta vis eius aut gratia, quot ingenia[6], quot officia, quantum instrumentum[7] mundo ferat, vereor, ne laudes aquae potius quam baptismi rationes videar congregasse, licet eo plenius docerem non esse dubitandum, si[8] materiam, quam in omnibus rebus et operibus

12 suspenderet] + *et* B. — 17 Vox *convenit* fortasse delenda est, de qua Gagneius in margine adnotat: *alibi deest.* — 20 *temperant* B Oehl.

[1] Gen. 1, 1—2. — [2] vitam supernaturalem dare. — [3] corpus hominis. — [4] die tertio creationis divinae. — [5] dativus finalis (zu Lehm); male vertit Kellner: mit Schlamm. Kroymann, qui (Quaest. Tertull. p. 74) voces *habili* et *limo* ut glossas delet, totum hunc locum male intellexit. — [6] artificia; Apol. 22, 12: Quid ergo de ceteris ingeniis vel etiam viribus fallaciae spiritalis edisseram? — [7] auxilium. — [8] Si = num (Hoppe p. 73).

suis deus disposuit, etiam in sacramentis propriis parere fecit, si, quae[1] vitam terrenam gubernat, et in caelesti procurat.

4. Sed ea satis erit praecerpsisse, in quibus et ratio baptismi recognoscitur prima illa, quae iam tunc etiam ipso habitu praenotabatur ad baptismi figuram, dei spiritum, qui ab initio supervectabatur super aquas, in tincto remoraturum[2]. Sanctum autem utique super sanctum ferebatur aut[3] ab eo, quod superferebatur, id quod ferebat sanctitatem mutuabatur, quoniam subiecta quaeque materia eius, quae desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem et penetrare et insidere facilem per substantiae suae facilitatem. Ita de sancto sanctificata natura aquarum et ipsa sanctificare concepit. 2 Nemo dicat: Numquid ipsis enim aquis tingimur, quae tunc in primordio fuerunt? Non utique ipsis nisi ex ea parte, qua genus quidem unum, species vero complures. Quod autem generi adtributum est, etiam in speciem redundat. 3 Ideoque nulla distinctio, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quicquam refert inter eos, quos Iohannes in Iordane et quos Petrus in Tiberi tinxit. Nisi et ille spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit. 4 Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato deo; supervenit enim statim

2 *aeternam* B. — 5 *praenotabantur* Kroymann, — *recognoscitur primum illa, qua iam tunc etiam ipso habitu praenotabant ad baptismi figuram dei spiritum, qui* Reiff. — 6 *supervectabatur super aquas, super aquas* Reiff. — ita Kroymann, *intinctorem oraturum* B, *intinctorum moraturum* Oehl. Reiff. — 7 aut] *et* Reiff. cum Junio. — 13 *[numquid]* B. — 14 *ipsi* B. — 15 ita Reiff., *specie* B. — 19 *inter Iordanem* B. — 23 [deo] B.

[1] i. e. materia. — [2] Accusativus cum infinitivo 'dei spiritum . . . remoraturum' pendet a verbo *praecerpsisse;* ideo correctionibus huius sententiae, quas adhibuit Reifferscheid, opus non est. — [3] *Aut* hoc loco significat: oder vielmehr, oder wenigstens (Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Spr. II [2], Hauniae 1914, p. 101, 3 et 4).

spiritus de caelis et aquis superest sanctificans eas de semet-ipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.[1] Quamquam ad simplicem actum competat similitudo, ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta, sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriae aut stupri aut fraudis, ita eiusmodi[2] in spiritu sordent, qui est auctor delicti; spiritus enim dominatur, caro famulatur. Tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum[3] et spiritus in aquis corporaliter diluitur et caro in eisdem spiritaliter mundatur.

5. Sed enim nationes extraneae ab omni intellectu spiritalium potestatum eandem efficaciam idolis suis subministrant.

2 *combibunt, vice sordium aquis abluantur. Quamquam* B. — 14 ita Hartel, *potestatum eadem efficacia* B Oehl. (qui supplet *aquas*), *potestatem eadem efficacia* Gel. Reiff. — *subministravit* B.

[1] Consecratio igitur aquae baptismatis iam exeunte saeculo secundo in usu erat et necessaria esse putabatur. Cfr. Cypr. ep. 70, 1: Oportet vero mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere; et Ep. 74, 5: Peccata enim purgare et hominem sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat et spiritum sanctum. Idem patet ex hisce verbis Theodoti, qui fuit discipulus Valentini Gnostici, a Clemente Alexandrino (Exc. 82; Clementis Alexandrini opera ed. Dindorf III 454) nobis traditis: Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται· οὕτως καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ ἐξορκιζόμενον καὶ τὸ βάπτισμα γινόμενον οὐ μόνον χωρεῖ τὸ χεῖρον ἀλλὰ καὶ ἁγιασμὸν προσλαμβάνει. At non, ut postea, spiritus sanctus seu tertiae in trinitate persona, sed spiritus Christi vel Logos primis ecclesiae saeculis super aquam invocabatur (Dölger, Ἰχθύς I 68 ss.); Cyrillus Hieros. (procatechesis c. 15): τότε ὑδάτων ἀπολαύσητε χριστοφόρων. Serapion (Euchol. or. 19; Funk, Didascalia et Const. apost. II, Pad. 1906, 181): Ὁ ἄρρητός σου λόγος ἐν αὐτοῖς (ὕδασιν) γενέσθω καὶ μεταποιησάτω αὐτῶν τὴν ἐνέργειαν καὶ γεννητικὰ αὐτὰ κατασκευασάτω πληρούμενα τῆς σῆς χάριτος. — [2] i. e. talia, ea. — [3] de hoc angelo cfr. infra c. 5 et 6.

Sed viduis aquis[1] sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicuius[2] aut Mithrae[3]; ipsos etiam deos suos lavationibus[4] efferunt[5]. Ceterum villas domos templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim. Certe ludis Apollinaribus[6] et Eleusiniis tinguuntur idque se in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres quisque[7] se homicidio infecerat, purgatrices aquas explorabat. 2 Igitur si de sola natura aquae, quod propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur[8], quanto id verius aquae praestabunt per dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quae potior religio quam dei vivi? 3 Quo agnito hic quoque studium diaboli recognoscimus res dei aemulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet. Quid simile? immundus emundat,

5 Eleusiniis] *Pelusiis* B. — 9 *adloquendi* B. — 10 *in auspicii* B.

[1] graece ψιλὸν ὕδωρ; cfr. Orig. ad Ioh. 3, 5 (ed. Preuschen, p. 512, 11): ὃ καὶ βάπτισμα θεῖον ὀνομάζεται, οὐκέτι μὲν ψιλὸν ὕδωρ, ἁγιάζεται γὰρ μυστικῇ τινι ἐπικλήσει. — [2] Apol. 11, 15: aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem. — [3] „An erster Stelle machten sich diese (orientalischen) Religionen anheischig, den Seelen ihre verlorene Reinheit wiederzuverschaffen, und zwar auf doppelte Weise, entweder durch rituelle Zeremonien oder durch Kasteiungen und Büßungen. Zunächst kennen sie eine Reihe von Waschungen und Lustrationen, die dem Mysten seine anfängliche Unschuld wiedergeben sollen. Entweder muß er sich mit Wasser waschen, das unter Beobachtung bestimmter Vorschriften geweiht ist, oder er muß sich mit Blut besprengen lassen“ (Cumont, Die orientalischen Religionen im römischen Heidentum. Lips. 1910, 48 s.). De eo, qui Isidi initiabatur, refert Apuleius (met. XI 23): Iamque tempore, ut aiebat sacerdos, id postulante, stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas et purissime circumrorans abluit. — [4] dat. finalis. — [5] De Magna Matre deorum ita Ovidius (fast. IV 136): ‘tota lavanda dea est’ et (l. l. 337): Est locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo | et nomen magno perdit in amne minor; | illic purpurea canus cum veste sacerdos | Almonis dominam sacraque lavit aquis. — [6] Romae celebrabantur ludi Apollinares quotannis 6.—13. Iul. — [7] i. e. quisquis (Hoppe, De sermone Tertull., p. 45 s.). — [8] Cfr. Ux. II 2: Numquid, inquam, de illo capitulo sibi blandiuntur primae ad Corinthios?

perditor liberat, damnatus absolvit. Suam videlicet operam destruet diluens delicta, quae inspirat ipse. Haec quidem in testimonium posita sunt repellentibus fidem, si minime credant rebus dei, quarum adfectationibus[1] apud aemulum dei credunt. 4 Annon et alias sine ullo sacramento immundi spiritus aquis incubant adfectantes illam in primordio divini spiritus gestationem? Sciunt[2] opaci quique fontes et avii quique rivi et in balneis piscinae et euripi[3] in domibus vel cisternae et putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim spiritus nocentis. Nympholeptos[4] et lymphaticos et hydrophobos vocant, quos aquae necaverunt aut amentia vel formidine exercuerunt[5]. 5 Quorsum ista retulimus? ne quis durius credat[6] angelum dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum angelus mali profanus[7] commercium eiusdem elementi in perniciem hominis frequentat. Angelum aquis intervenire si

5 *[aquis]* B. — 10 Nympholeptos] ita Oehler, *nam et esietos* B Reiff., *nam et enectos* Gel., *nam et apopnictos* Urs. — *hydrophobas* B. — 11 *execuerunt* B. — 14 ita Kroymann, *angelis malis profanus* B, *angelus malus profanum* Urs. Oehl. Reiff.

[1] imitationibus. — [2] Infra c. 9: 'sciunt Pilati manus' et Apol. 5, 1: Scit M. Aemilius de deo suo Alburno. — [3] euripus, i. e. fretum. — [4] Haec coniectura Oehleri (pro: *nam et esietos* editionis principis) optima est. Vox, quae hoc loco desideratur, eos significare debet, qui miro quodam modo vel aquis abrepti mortem oppetiere vel per aquas mente capti sunt; hi vero a Graecis νυμφόληπτοι dicebantur. Varro, De lingua lat. VII 87: 'In Graecia commota mente quos νυμφοπήπτους adpellant, ab eo (lympha) lymphaticos dixerunt nostri?' Festus s. v. lymphae: 'Lymphae dictae a nymphis. Vulgo autem memoriae proditum est, quicumque speciem quandam e fonte, id est effigiem nymphae, viderunt, furendi non fecisse finem'. Nymphae etiam quos amabant in flumina vel lacus detrahere dicebantur; cfr. Sil. Ital., Punic. V 14ss. — Quod coniecit *Wissowa*: 'nam ἐξεστηκότας' vel 'nam ἄτας ictos', improbandum est. — [5] vexaverunt. — [6] incredibilius putet. — [7] Locutio *Angelus mali profanus* obposita est locutioni antecedenti: *angelum dei sanctum*. Nam 'malus' a Tertulliano usurpatur pro 'diabolus'; cfr. Cult. fem. II 5: Christianus a malo illo adiuvabitur in aliquo? Idol. 16 (p. 50, 2): sed quoniam ita malus circumdedit saeculum idololatria; 21 (p. 55, 4): per quem te malus squ.

novum videtur, exemplum futuri praecucurrit. Piscinam Bethsaidam angelus interveniens[1] commovebat; observabant qui valetudinem querebantur; nam si quis praevenerat descendere[2] illuc, queri post lavacrum desinebat. Figura ista medicinae corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figuram spiritalium antecedunt. 6 Proficiente itaque in hominibus gratia dei plus aquis et angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc aeternam reformant; qui unum semel anno liberabant[3], nunc quotidie populos conservant deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu eximitur et poena. 7 Ita restituetur homo deo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem dei fuerat; imago in effigie, similitudo in aeternitate censetur[4]. Recipit enim illum dei spiritum, quem tunc de adflatu eius acceperat, sed post amiserat per delictum.

6. Non quod in aquis spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub angelo[5] spiritui sancto praeparamur. Hic quoque figura praecessit: sic⟨ut⟩ enim Iohannes antepraecursor domini fuit praeparans vias eius, ita et angelus

4 *figuram* Reiff. — 7 *ita qui nominibus* B. — 8 *spiritu* B. — 14 *effigiem* B. — 18 *spiritu* B. — 19 sicut] ita Kroymann (Quaest. Tert. p. 75), *sic* ceteri.

[1] Ioh. 5, 2 ss. — [2] Infinitivus finalis, qui saepe legitur post verba movendi (Hoppe p. 42 s.). — [3] Singulis igitur annis semel tantum angelum in piscinam Bethsaidam descendisse sententia est Tertulliani. — [4] Locum Gen. 1, 26 Tertullianus ita intellegit, ut homo natura sit imago dei, gratia autem supernaturali fiat similitudo dei. — [5] Angelus baptismi (cfr. Orat. 12: angelus orationis) etiam Bapt. c. 4 et 5 commemoratur. In c. 4 et 5 legitur aquas quodammodo medicari per angeli interventum; in c. 6: 'in aqua emundati sub angelo' et 'ita et angelus baptismi arbiter superventuro spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum'. Hisce locis Tertullianus angelo idem tribuit, quod alibi aquae invocatione ss. trinitatis sanctificatae adscribit. Angelus igitur baptismi contrarius est malo angelo, qui 'commercium eiusdem elementi in perniciem hominis frequentat' (c. 5).

baptismi arbiter[1] superventuro spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in patre et filio et spiritu sancto. [2] Nam si in tribus testibus stabit omne verbum[2] dei, quanto magis donum[3]? Habemus ⟨per⟩ benedictionem eosdem arbitros fidei, quos et sponsores salutis. Sufficit ad fiduciam spei nostrae etiam numerus nominum divinorum; cum autem sub tribus et testatio fidei[4] et sponsio salutis pignerentur, necessario adicitur ecclesiae mentio[5], quo-

4 dei] ita B et Kroymann (l. l.), om. ceteri cum Gelenio. — donum] ita B Kroymann, *dum* ceteri cum Gel. — per] om. B.

[1] praeses et testis. — [2] Deut. 19, 15; Matth. 18, 16. — [3] i. e. donum salutis seu vita aeterna; cfr. Pud. 6, 14: 'nondum erat digna dono salutis'. Fortasse pro 'donum' scribendum est *donativum*, i. e. χάρισμα (gratia); cfr. Rom. 6, 23, quem locum Tertullianus ita vertit (Res. carn. 47): 'Stipendia enim delinquentiae mors, donativum autem dei vita aeterna'; et Tert. de cor. 1: 'totus de apostolo armatus et de martyrii candida melius coronatus donativum Christi in carcere exspectat'. — [4] Primis ecclesiae saeculis ordo baptismi conferendi is fuit, ut baptizans baptizandum in aqua stantem ter interrogaret: 'Credis in deum patrem' squ. et ille singulis vicibus responderet: 'Credo' simulque mergeretur. *Cyrillus* (cat. myst. 2, 4): Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν ἁγίαν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐχειραγωγεῖσθε κολυμβήθραν, ὡς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ ἐπὶ τὸ προκείμενον μνῆμα. Καὶ ἠρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύει εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Καὶ ὡμολογήσατε τὴν σωτήριον ὁμολογίαν καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ καὶ ἀνεδύετε πάλιν. *Ambrosius* (de myst. 5, 28): 'Descendisti igitur, recordare quid responderis, quod credas in patrem, credas in filium, credas in spiritum sanctum'. *Ps.-Ambrosius* de sacr. II 7, 20: 'Interrogatus es: Credis in deum patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in dominum nostrum Iesum Christum et in crucem eius? Dixisti: Credo, et mersisti' squ. *Sacramentarium Gelasianum* (Muratori, Liturgia Romana vetus I 570): 'Inde benedicto fonte baptizas unumquemque in ordine suo sub his interrogationibus: Credis in deum patrem omnipotentem? Resp.: Credo. Credis et in Ies. Christum ... Resp.: Credo. Credis et in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? Resp.: Credo. Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua'. — [5] Infra c. 11: 'In quem enim tingueret? ... in ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant'? Tert. de cor. milit. c. 3: 'Dehinc ter mergitamur amplius aliquid

niam, ubi tres id est pater et filius et spiritus sanctus, ibi ecclesia, quae trium corpus est[1].

7. Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina[2], qua ungi oleo de cornu in sacerdotio solebant, ex quo[3] Aaron a Moyse unctus est. Unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae domino nomen accommodavit, facta spiritalis[4], quia spiritu unctus est a deo patre, sicut in Actis[5]: Collecti enim vere in ista civitate adversus sanctum filium tuum, quem unxisti. 2 Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit; quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur[6].

8. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans spiritum sanctum. Sane humano ingenio licebit spiri-

5 Ita ipse interpunxi; *solebant; ex quo Aaron a Moyse unctus est, unde* Oehl. Reiff. — 7 *spiritus* B. — 8 *enimvero* B. — 11 et] + *spiritus* B.

respondentes quam dominus in evangelio determinavit'. Cypr. ep. 69, 7 et 70, 2: 'Sed et ipsa interrogatio, quae fit in baptismo, testis est veritatis; nam cum dicimus: Credis in vitam aeternam et remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? intellegimus' squ. Cfr. etiam quae supra (p. 25) ex Sacr. Gelasiano adtuli.

[1] Cfr. De pudic. 21, 16. — [2] i. e. de disciplina veteris testamenti. — [3] sc. oleo de cornu. — [4] Vertendum est: Weil (unde = quia, cfr. Hoppe p. 112 s.) Christus seinen Namen hat von chrisma, das ist Salbung, ist diese, die dem Herrn den Namen gegeben hat, vergeistigt worden. — [5] Act. 4, 27. — [6] Unctionem, quae fit post baptismum, Tertullianus memorat etiam Res. carn. 8 (p. 36, 29): 'Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro unguitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur'; et Marc. I 14 (p. 308, 19): 'Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat'. Quid haec unctio efficiat, Tertullianus non explicat; id solum dicit: 'sed spiritaliter proficit'; at Cyrillus Hierosolymitanus, qui in catechesi mystagogica tertia de sola unctione post baptismum agit et manuum inpositionis nullam facit mentionem, ei infusionem spiritus sancti adtribuit.

tum in aquam arcessere[1] et concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantae claritatis animare, deo autem in suo organo[2] non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem? 2 Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephrem et Manassem, Iacob capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit[3], et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes iam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram[4]. 3 Tunc ille sanctissimus spiritus per emundata et benedicta corpora libens a patre descendit, super baptismi aquas tanquam pristinam sedem recognoscens conquiescit, columbae figura delapsus in dominum, ut natura spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiae, quod etiam corporaliter ipso felle careat columba[5]. 4 Ideoque estote, inquit, simplices sicut columbae[6]; ne hoc quidem sine argumento praecedentis figurae. Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi pacem caelestis irae praeco columba terris adnuntiavit dimissa ex arca et cum olea reversa, quod signum etiam apud nationes paci praetenditur, eadem dispositione spiritalis effectus terrae, id est carni nostrae, emergenti de lavacro post vetera delicta columba sancti spiritus advolat pacem dei adferens, emissa de caelis, ubi ecclesia est arca figurata[7]. 5 Sed mundus rursus deliquit; quo male com-

7 *deformantis* B. — 20 *apud etiam* B. — 21 *effecta?* — 22 *emergendi* B.

[1] De organis hydraulicis veterum vide Vitruvium, De architectura IX 9 et X 13. — [2] i. e. in homine. — [3] Gen. 48, 13 ss. — [4] Manus transversim obliquatae chiasmum efficiunt, qui est et figura litterae graecae X, a qua incipit nomen Χριστός, et figura crucis, quae Christum pro nobis passum portendit. — [5] Plin., Nat. hist. XI 27, et Cypr., De cath. eccl. un. c. 9: 'In columba venit spiritus sanctus, simplex animal et laetum est, non felle amarum'. In titulis sepulcralibus christianis antiquitatis anima defuncti saepe vocatur: palumbulus sine felle (Kraus, Realencyclopaedie II 819). — [6] Matth. 10, 16. — [7] Arcae Noe ecclesia saepe conparatur a s. Cypriano, ex. gr. Ep. 69, 2 et 74, 11.

paratur baptismus diluvio. Itaque igni destinatur, sicut et homo qui post baptismum delicta restaurat, ut hoc quoque in signum admonitionis nostrae debeat accipi.

9. Quot igitur patrocinia naturae, quot privilegia gratiae, quot sollemnia disciplinae[1], ⟨quot⟩ figurae praestructiones[2] precationes[3] religionem aquae ordinaverunt! Primo quidem cum populus de Aegypto liber, expeditus[4] vim regis Aegypti per aquam transgressus evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua extinxit. Quae figura manifestior in baptismi sacramento? Liberantur de saeculo nationes per aquam scilicet et diabolum dominatorem pristinum in aqua oppressum derelinquunt. 2 Item aqua de amaritudinis vitio in suum commodum suavitatis[5] Mosei ligno remediatur[6]. Lignum illud erat Christus venenatae et amarae retro naturae venas in saluberrimas aquas baptismi scilicet ex sese remedians. 3 Haec est aqua, quae de comite petra populo defluebat; si enim petra Christus[7], sine dubio aqua in Christo baptismum videmus benedici. Quanta aquae gratia penes deum et Christum eius est ad baptismi confirmationem! 4 Numquam sine aqua Christus. Siquidem et ipse aqua tinguitur; prima rudimenta potestatis suae vocatus ad nuptias aqua auspicatur; cum sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam; cum de agape docet, aquae

1 ita Reiff. cum Junio, *comparetur* B Oehl. — 4 *quod* ter B. — 5 quot figurae] ita Kroymann (p. 76), om. ceteri. — 6 *praedicationes* Kroymann. — 7 liber] ita Urs., *libere* B Oehl., *liber et* Reiff. — 11 *derelinquit* B. — 12 *in usum commodae* Reiff.

[1] Supra c. 7, 1: Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina. — [2] i. e. praeparationes. Marc. IV 14 (p. 461, 6): in evangelii scilicet sui praestructionem. — [3] i. e. benedictiones; cfr. supra c. 8, 1—2. — [4] i. e. de Aegypto liberatus facile seu sine impedimento. — [5] Apol. 42, 9: commodo ceterarum rationum; Test. an. 4 (p. 138, 16): vitae incommodum. — [6] Exod. 15, 25. — [7] 1 Cor. 10, 4: ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ πέτρα δὲ ἦν ὁ Χριστός.

calicem fratri[1] oblatum inter opera dilectionis probat; apud puteum vires resumit, super aquam incedit, libenter transfretat, aquam discentibus ministrat. Perseverat testimonium baptismi usque ad passionem: cum deditur in crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus; cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis.

10. Diximus, quantum mediocritati nostrae licuit, de universis, quae baptismi religionem struunt; nunc ad reliquum statum eius aeque ut potero progrediar de quaestiunculis quibusdam. Baptismus ab Iohanne denuntiatus iam tunc habuit quaestionem, ab ipso quidem domino propositam pharisaeis, caelestisne is baptismus esset an vero terrenus. De quo illi non valuerunt constanter[2] respondere, utpote non intellegentes, quia nec credentes. 2 Nos porro[3] quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus aestimare divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate, quod et Iohannem a domino missum legimus in hoc munus, ceterum humanum condicione. Nihil enim caeleste praestabat, sed caelestibus praeministrabat, paenitentiae scilicet praepositus, quae est in hominis potestate. 3 Denique[4] legis doctores et pharisaei, qui credere noluerunt, nec paenitentiam agere[5]. Quod si paenitentia humanum est, et baptismus ipsius eiusdem condicionis fuerit necesse est, aut daret et spiritum sanctum et remissionem delictorum, si caelestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit neque spiritum indulget nisi deus solus. 4 Etiam ipse dominus, nisi ipse prius ascenderet ad patrem, aliter negavit spiritum descensurum. Id quod dominus nondum conferebat, servus uti-

1 fratri] ita Pam., *patri* B, *pauperi* Oehl. Reiff. — 12 *terrenus?* *De* Oehl. Reiff. — 16 *mandatum* B. — 21 *egere* Lat. Oehl. Reiff.

[1] Matth. 10, 42: Καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ. Marc. 9, 41: ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν ὀνόματι ὅτι Χριστοῦ ἐστε. — [2] i. e. omnino, sine dubio. — [3] sed, atquin, atenim (Hoppe p. 113). — [4] *Denique* saepe a Tertulliano more iuris consultorum ponitur pro: ideo, itaque. — [5] supple: voluerunt.

que praestare non posset[1]. Adeo[2] postea in Actis apostolorum invenimus, quoniam, qui Iohannis baptismum habebant, non accepissent spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant[3]. 5 Ergo non erat caeleste, quod caelestia non exhibebat, cum ipsum, quod caeleste in Iohanne fuerat, spiritus prophetiae, post totius spiritus in dominum translationem usque adeo defecerit, ut quem praedicaverat, quem advenientem designaverat, postmodum, an ipse esset, miserit sciscitatum. Agebatur itaque baptismus paenitentiae quasi candidatus remissionis[4] et sanctificationis in Christo subsecuturae. 6 Nam quod praedicabat baptismum paenitentiae in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est, siquidem paenitentia antecedit remissio subsequitur, et hoc est viam praeparare; qui autem praeparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. 7 Ipse profitetur, sua non esse caelestia sed Christi, dicendo: Qui de terra est, de terra loquitur; qui de supernis venit, super omnes est[5]; item sola se paenitentia tinguere, venturum mox qui tingueret in spiritu et igni. Scilicet quia vera et stabilis fides, quae aqua tinguitur in salutem, simulata autem et infirma igni tinguitur in iudicium.

11. Sed ecce, inquiunt, venit dominus et non tinxit; legimus enim: Et tamen is non tinguebat, verum discipuli eius[6]. Quasi revera ipsum suis manibus tincturum Iohannes praedicasset. 2 Non utique sic intellegendum est, sed simpliciter dictum more communi, sicut est verbi gratia: imperator pro-

1 *potuisset* Reiff. — 5 spiritus] + *et* B. — 14 *perfecit* B. — 19 ita ego, *stabilis aquae fides qua* B, *stabilis fides qua* Rig. Oehl. Reiff.

[1] Restituenda est lectio editionis principis: *posset;* nam res, quae exponitur, hodieque vera est vel perseverat. Accedit, quod saepe a Tertulliano coniunctivi imperfecti et plusquamperfecti permutantur (Hoppe p. 69); cfr. paulo supra (c. 10, 3): aut *daret* spiritum sanctum. — [2] itaque. — [3] Act. 19, 2. — [4] i. e. sponsor; Iud. c. 2 ex.: aeternitatis candidatus. Cor. 7 'homines dei veri' opponuntur 'gentibus candidatis diaboli'; Marc. II 25 (p. 371, 5) ipsum Adam nec Evam ut restitutionis candidatos. — [5] Ioh. 3, 31. — [6] Ioh. 4, 2.

posuit edictum aut praefectus fustibus cecidit; numquid ipse proponit aut numquid ipse caedit? Semper is dicitur facere, cui praeministratur. Ita erit accipiendum: ipse vos tinguet pro eo, quod est: per ipsum tinguemini vel in ipsum. 3 Sed ne moveat quosdam, quod non ipse tinguebat. In quem enim tingueret? in paenitentiam? quo ergo illi praecursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum, quem humilitate celabat? in spiritum sanctum, qui nondum ad patrem adscenderat? in ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant? 4 Itaque tinguebant discipuli eius ut ministri, ut Iohannes antepraecursor, eodem baptismo Iohannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus[1] dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset nisi domini passione nec vita restitui sine resurrectione ipsius.

12. Cum vero praescribitur[2] nemini sine baptismo competere salutem ex illa maxime pronuntiatione domini qui ait: nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam[3], suboriuntur scrupulosi, immo temerarii retractatus quorundam, quomodo ex ista praescriptione apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in domino praeter Paulum[4]. 2 Immo cum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut praeiudicatum esse de ceterorum periculo, qui careant aqua Christi, ut praescriptio salva sit, aut rescindi praescriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audivi, domino teste, eiusmodi[5], ne quis me tam perditum existimet, ut ultro excogitem libidine stili, quae aliis scrupulum incutiant.

1 *caecidit* B. — 8 *spiritusancto* B. — 16 *sine surrectione* B, *nisi resurrectione* Kroymann. — 21 *praescriptione praestructione* B. — 26 *tinctus* B. — 27 *in eiusmodi* B. — ut] *et* B. — 28 *excogitet libidinem* B.

[1] a discipulis. — [2] definitur, lege sancitur. — [3] Eadem verba domini De anim. 39 (p. 367, 9) ita leguntur: Nisi quis nascetur ex aqua et spiritu, non inibit in regnum dei. — [4] Act. 9, 18. — [5] tales.

3 Et nunc illis, ut potero, respondebo, qui negant apostolos tinctos. Nam si humanum Iohannis baptismum inierant et dominicum desiderabant, quatenus[1] unum baptismum definierat ipse dominus dicens Petro perfundi volenti: qui semel lavit, non habet necesse rursum[2], quod utique non tincto non omnino dixisset, et haec est probatio exerta adversus illos, qui adimunt apostolis etiam Iohannis baptismum, ut destruant aquae sacramentum. 4 An credibile videri potest in his personis viam tunc domini non praeparatam id est baptismum Iohannis, quae ad viam domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse dominus nullius paenitentiae debitor tinctus est; peccatoribus non fuit necesse? Quod ergo alii tincti non sunt, non tamen comites Christi, sed[3] aemuli fidei, legis doctores et pharisaei. 5 Unde et suggeritur, cum adversantes domini tingui noluerint, eos qui dominum sequebantur tinctos fuisse nec cum aemulis suis sapuisse, maxime quando dominus, cui adhaerebant, testimonio Iohannem extulisset, nemo, dicens, maior inter natos feminarum Iohanne baptizatore[4]. 6 Alii plane satis coacte iniciunt tunc apostolos baptismi vicem implesse, cum in navicula fluctibus adspersi operti sunt[5]; ipsum quoque Petrum per mare ingredientum satis mersum[6]. Ut opinor autem, aliud adspergi vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplina religionis. 7 Ceterum navicula illa figuram ecclesiae praeferebat, quod in mari, id est saeculo, fluctibus, id est persecutionibus et temptationibus, inquietatur, domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat saeculum et tranquillitatem suis reddat.

4 *nolenti* B. — 11 *destinabatur* B. — 13 *fide* B. — 14 *Pharisaei? unde* Reiff. — suggeritur] + *et* B. — 16 nec] *ne* B. — 17 cui] *si cui* B, *si qui* Hartel.

[1] quia (Hoppe p. 82). — [2] Ioh. 13, 10. — [3] Sensus est: Quodsi alii tincti non sunt, tamen ii comites Christi non erant, sed. — [4] Matth. 11, 11. — [5] Matth. 8, 24. — [6] Matth. 14, 30.

8 Nunc sive tincti quoquo modo fuerunt sive illoti perseveraverunt, ut et illud dictum domini de uno lavacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamen apostolorum satis temerarium est aestimare, quia illis vel primae adlectionis et exinde individuae[1] familiaritatis praerogativa compendium baptismi conferre posset, cum illi, opinor[2], sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur: Fides tua, aiebat, salvum fecit[3] et: remittentur tibi peccata[4], credenti utique nec tamen tincto. 9 Id si apostolis defuit, nescio[5], quorum fides uno verbo domini suscitata telonium dereliquit, patrem et navem et artem qua vitam sustentabat deseruit. Qui patris exsequias despexit, summum illius domini praeceptum: qui patrem aut matrem mihi praetulerit, non est me dignus[6], ante perfecit quam audivit.

13. Hic ergo scelestissimi illi provocant quaestiones. Adeo dicunt: 'Baptismus non est necessarius quibus fides satis est; nam et Abraham nullius aquae nisi fidei sacramento[7] deo placuit'. Sed in omnibus posteriora concludunt et sequentia antecedentibus praevalent. 2 Fuerit salus retro per fidem nudam ante domini passionem et resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi[8] in nativitatem passionem resurrectionemque eius, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi,

4 quia] *quae* B. — 6 cum illi] ita Urs. Oehl. Reiff., *cum illo* B, *cum ilico* Hartel prius, *cum illum* Hartel postea. — 10 ita B, *fide* Oehl. Reiff. — ita Urs., *suscitatus* cet. omnes. — 12 qui] ita B, om. omnes cum Rigaltio. — illius] *illud* B.

[1] Praescr. 22: quos (apostolos) magistros dominus dedit, individuos habens in comitatu. — [2] i. e. certe, sine dubio (ironice). — [3] Marc. 10, 52. — [4] Matth 9, 2. — [5] i. e.: 'Nescio, num id apostolis defuerit' (*nescio si* etiam c. 15 legitur); sed hoc est ironice dictum eo sensu: 'Id apostolis non defuisse certum est'; cfr. Res. carn. 14 (p. 43, 11): 'nescio iam, si deus, qui nec auctor quod deus'. — [6] Matth. 10, 37. — [7] i. e. 'non aquae sed solius fidei sacramento'; nam *nullus* saepe pro *non* ponitur (Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache II, 1 [1912] p. 236 b), et *nisi* pro *tantum*. — [8] Genetivus est appositionalis (Hoppe p. 18); Wissowa coniecit: 'credendo'.

vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda nec potest iam[1] sine sua lege. 3 Lex enim tinguendi imposita est et forma praescripta: Ite, inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomen patris et filii et spiritus sancti[2]. Huic legi collata definitio illa: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum[3], obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. 4 Et hoc est, quod et dominus in illa plaga orbationis[4] praeceperat: exurge, dicens, et introi Damascum, illic tibi demonstrabitur, quid debeas agere[5], scilicet tingui, quod solum ei deerat; alioquin satis didicerat atque crediderat Nazarenum esse dominum dei filium.

14. Sed de ipso apostolo revolvunt, quod dixerit: Non enim me ad tinguendum Christus misit[6]. Quasi hoc argumento baptismus adimatur! Cur enim tinxit Gaium et Crispum et Stephanae domum[7]? Quamquam, etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis apostolis praeceperat tinguere. 2 Verum haec pro condicione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt, quoniam schismata et dissensiones inter illos movebantur, dum alius ⟨se⟩ Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad praedicandum. Nam et prius est praedicare, posterius tinguere, et prius praedicatum; puto autem: licuit et tinguere, cui licuit praedicare.

15. Nescio si quid amplius ad controversiam baptismi ventilatur. Sane retexam[8], quod supra omisi, ne imminentes

8 et] *ei* Urs. Oehl. — 20 se] ita ego, om. cet.: cfr. 1 Cor. 1, 12: ἕκαστος ὑμῶν λέγει· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ. — 24 et] ita Reiff., *sed* B, *si* B in margine, *sic* Oehl.

[1] supple: esse. — [2] Matth. 28, 19. — [3] Ioh. 3, 5. — [4] i. e. cum in itinere Damascum versus oculorum luce orbatus esset. — [5] Act. 9, 6. — [6] 1 Cor. 1, 17. — [7] 1 Cor. 1, 14. 16. — [8] exponam; Nat. II 7 (p. 107, 16): cur non credatis talia retexentibus de deis vestris; Carn. Chr. 22: retexens enim promissionem benedictionis.

sensus videar intercidere. Unus omnino baptismus est nobis, tam ex domini evangelio[1] quam ex apostoli litteris, quoniam unus dominus et unum baptisnrum[2] et una ecclesia in caelis. 2 Sed circa haereticos sane quae custodiendum[3] sit, digne[4] quis retractet. Ad nos enim editum est[5]; haeretici autem nullum habent consortium nostrae disciplinae, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est praeceptum, quia non idem deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem; quem cum rite non habent, sine dubio non habent, nec capit[6] numerari quod non habetur; ita nec possunt accipere, quia non habent. Sed de isto plenius iam nobis in Graeco digestum est. 3 Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Ceterum Israel Iudaeus[7] quotidie lavat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum est. Felix aqua, quae semel abluit, quae ludibrio peccatoribus non est, quae non adsiduitate sordium infecta rursus quos diluit inquinat.

2 *tamen* B. — 3 dominus] ita Latinius, om. B, *deus* Urs. Oehl. Reiff. — baptismum] ita B, *baptisma* Urs. Oehl. Reiff. — 4 *quid* Reiff. cum Pamelio. — 15 *Iudaeus* delet Harnack.

[1] supra c. 12, 3: 'quatenus unum baptismum definierat ipse dominus dicens Petro' squ. — [2] Eph. 4, 5: εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα. Nominativus *baptismum* saepius in libris manuscriptis legitur (Thes. l. lat. II 1717), ex. gr. Cypr. sent. episc. 15 et 18, Ps.-Ambros. de sacr. II 6, 18 et sermo 38, 2 bis; cfr. v. Soden, Das lat. Neue Testament in Africa, Lipsiae 1909, 252 s. — [3] De constructione 'quae custodiendum est' agit Kühner, Ausf. Gramm. II 1 (1912), p. 734, 2. — [4] i. e. merito (Apol. 11, 4; 13, 8; Pat. 7 p. 11, 8). — [5] i. e. dictum est, quod de uno baptismo supra e litteris divinis adtuli. — [6] licet (graece ἐνδέχεται). Apol. 17, 3: Hoc est, quod deum aestimari facit, dum aestimari non capit. Cult. fem. I 2: Sed haec non capit aestimare. — [7] Israel Iudaeus obpositus est proselyto Iudaeo; cfr. Adv. Iud. 1: 'disputatio habita est Christiano et proselyto Iudaeo' et 'de prosapia Israelitum Iudaeus'. De re cfr. Orat. 14 (p. 189, 7): 'Omnibus licet membris lavet quotidie Israel, numquam tamen mundus est'.

16. Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo dominus habeo, inquit, baptismo tingui[1], cum iam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Iohannes scripsit[2], ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, proinde nos facere[3] aqua vocatos, sanguine electos. 2 Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem eius crederent aqua lavarentur, qui aqua lavissent etiam sanguinem portarent[4]. Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat[5] et perditum reddit.

17. Superest ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi et accipiendi baptismi commonefacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. 2 Alioquin etiam laicis ius est; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo[6] dari potest; nisi episcopi iam aut presbyteri aut diaconi, vocantur discentes[7]. Domini sermo non debet abscondi ab ullo; proinde et baptismus, aeque dei census[8], ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum ea maioribus[9] competant, ne sibi ad-

5 *perinde* Reiff. — *faceret* Reiff. cum Latinio. — 18 *dicentes* B. — 19 *perinde* Reiff. — 21 *competat* B.

[1] Luc. 12, 50. — [2] 1 Ioh. 5, 6. — [3] Est infinitivus finalis, qui usitatissimus est post verba movendi (Hoppe p. 42 s.). Coniunctio *ut*, quae antecedit, explicat locutionem ‘per aquam et sanguinem’. — [4] *Sanguinem portare* est: dolores in corpore suo portare seu habere: cfr. Is. 53, 4 Vulg.: ‘et dolores nostros ipse portavit’ et Tert. de carne Chr. 6: ‘carnem portasse’. Non recte igitur pro *portarent* Gelenius et Oehler scripsere *potarent*, Wissowa coniecit *sanguine postularent*. — [5] perficit, exsequitur. Marc. IV 6 (p. 433, 10) si repraesentaverit promissiones; IV 9 (p. 442, 7) curationem statim repraesentasse. — [6] aequo modo vel aequo iure, graece ἐξ ἴσου (Hoppe p. 101 s.). — [7] *Discentes* iidem sunt, qui antea laici a Tertulliano vocati sunt, i. e. ii, qui in ecclesia non docent, sed audiunt. — [8] i. e. dei res (Hoppe p. 119). — [9] Maiores hoc loco sunt presbyteri et diaconi, sed non, ut putabat Oehler, etiam

sumant dicatum episcopis officium? Episcopatus aemulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus apostolus, sed non omnia expedire[1]. 3 Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae condicio compellit; tunc enim constantia succurrentis excipitur[2], cum urget circumstantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare quod libere potuit. 4 Petulantia autem mulieris, quae usurpavit docere[3], utique non etiam tinguendi ius sibi pariet, nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae[4], ut, quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. 5 Quodsi, quae Pauli perperam inscripta sunt[5], exemplum Theclae ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt, sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulos[6] Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi daret feminae potestatem, qui ne discere quidem constanter[7] mulieri permisit[8]? taceant, inquit, et domi maritos suos consulant[9].

18. Ceterum baptismum non temere credendum esse sciunt quorum officium est. Omni petenti te dato[10] suum habet

1 *episcopi* B Oehl. — 8 ita Urs. Reiff., *petulantia autem mulier* B, *petulantiae autem mulier* Oehl. — 12 *scripta* B Oehl. — 13 *tingendi quae* B. — 14 titulos] ita Hartel, *titulo* B Oehl. Reiff., *titulum* Wissowa. — 18 discere] *docere* B, *doceri* Hartel.

episcopi. Totus hic locus a Kellnero, etiam in secunda editione versionis germanicae, male interpretatus est.

[1] 1 Cor. 6, 12. — [2] i. e. studium et industria succurrentis grato animo accipitur. — [3] 1 Cor. 14, 34 s. — [4] supra c. 1, 2. — [5] Agit De Actis Pauli, quarum reliquias copticas una cum versione germanica edidit Carolus Schmidt, Acta Pauli, 2. ed. Lipsiae 1905. Hieronymus (de script. eccl. c. 7): 'Igitur Περιόδους Pauli et Theclae et totam baptizati leonis fabulam inter apocrypha computemus'. — [6] i. e. scripta, libros; hanc enim significationem vox *titulus* saepe habet apud Tertullianum. — [7] magna vi, intrepide. — [8] Marc. V 8 (p. 600, 7): aeque praescribens silentium mulieribus in ecclesia, ne quid discendi dumtaxat gratia loquantur. — [9] 1 Cor. 14, 34. — [10] Luc. 6, 30.

titulum, praecipue ad eleemosynam pertinentem. Immo illud potius perspiciendum: Nolite dare sanctum canibus et porcis proicere margaritam vestram[1], et: Manus ne facile imposueris, ne participes aliena delicta[2]. 2 Si Philippus tam facile tinxit eunuchum[3], recogitemus manifestam et exertam dignationem domini intercessisse. Spiritus Philippo praeceperat in eam viam pertendere; spado et ipse inventus est non otiosus nec qui subito tingui concupisceret, sed ad templum orandi gratia profectus scripturae divinae impressus sic oportebat deprendi, cui ultro deus apostolum[4] miserat, quem rursus spiritus ut se curriculo eunuchi adiungeret iussit; scriptura[5] ipsius fidei occurrit in tempore, exhortatus[6] adsumitur, dominus ostenditur, fides non moratur, aqua non expectatur, apostolus perfecto negotio eripitur. 3 Sed et Paulus revera cito tinctus est. Cito enim cognoverat Simon hospes[7] vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio suas praemittit praerogativas; omnis petitio decipere et decipi potest. 4 Itaque pro cuiusque personae condicione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse, si non tam necesse est, sponsores[8] etiam periculo ingeri, qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malae indolis falli? 5 Ait quidem dominus: Nolite illos prohibere ad me venire[9]. Veniant ergo, dum adolescunt; veniant, dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem pec-

1 praecipue] ita ego, *perinde* ceteri. — 7 *praetendere* B. — 15 *unctus*. 18 ac] *a* B. — 21 *integri quid* B. — 22 *proventum* B. — 26 quid] *quod* B.

[1] Matth. 7, 6. — [2] 1 Tim. 5, 22. — [3] Act. 8, 26 ss. — [4] Philippum diaconum. — [5] locus scripturae divinae. — [6] admonitus. — [7] Saulus, postquam Damascum advenit, devertit domum Iudae cuiusdam: qui autem ad eum illo docendi tinguendique a domino missus est, ei nomen erat Ananias (Act. 9, 10 ss.). — [8] Iam tunc igitur sponsores in baptismo parvulorum aderant. — [9] Matth. 19, 14.

catorum[1]? Cautius agetur in saecularibus, ut, cui substantia terrena non creditur, divina credatur? Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. 6 Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus temptatio praeparata est tam virginibus per maturitatem quam viduis per vagationem[2], donec aut nubant aut continentiae[3] corroborentur. Si qui pondus intellegant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem; fides integra secura est de salute[4].

19. Diem baptismo sollemniorem pascha praestat, cum et passio domini in qua tinguimur adimpleta est. Nec incongruenter ad figuram interpretabitur[5], quod, cum ultimum pascha dominus esset acturus, missis discipulis ad praeparandum, convenietis, inquit, hominem aquam baiulantem[6]; paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit. 2 Exinde pentecoste[7] ordinandis lavacris laetissimum spatium est, quo et domini resurrectio inter discipulos frequentata est et gratia spiritus sancti dedicata et spes adventus domini subostensa, quod tunc in caelos recuperato eo angeli ad apostolos dixerunt sic venturum, quemadmodum et in caelos conscendit[8], utique in pentecoste. Sed enim Hieremias cum dicit: et congregabo illos ab extremis terrae in die festo[9], paschae diem

3 *petendi* B. — 5 *vacationem* Urs. Oehl. Reiff. — 11 ad] *aut* B. — 15 *latissimum* B in margine, Gel. — *quod* B.

[1] At cfr. Test. an. 3 (p. 138, 4): per quem (satanam) homo a primordio circumventus, ut praeceptum dei excederet, et propterea in mortem datus exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit. De an. 40 (p. 367, 12): Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tamdiu immunda, quamdiu recenseatur, peccatrix autem, quia immunda. — [2] Cfr. 1 Tim. 5, 13: (νεώτεραι χῆραι) ἅμα δὲ καὶ ἀργαὶ μανθάνουσιν περιερχόμεναι τὰς οἰκίας. Vox *vagatio* in posteriore latinitate saepius legitur, ex. gr. Apul. de deo Socr. 15 et Servius Verg. Aen. 1, 2. — [3] dat. finalis. — [4] Ii igitur, quibus vis maior et vitam abstulit et lavacrum, qui tamen fidem integram habent, secundum Tertullianum salutem consecuntur. — [5] passive. — [6] Marc. 14, 13. — [7] Sunt quinquaginta dies, qui intercedunt inter pascham et festum pentecostes. — [8] Act. 1, 11. — [9] Ier. 31, 8.

significat et pentecostes, qui est proprie dies festus. 3 Ceterum omnis dies domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de sollemnitate interest, de gratia nihil refert.

20. Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant[1] etiam baptismum Iohannis; tinguebantur, inquit, confitentes delicta sua[2]. Nobis gratulandum est, si nunc publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras; simul enim et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus et subsecuturis temptationibus munimenta praestruimus: vigilate et orate, inquit, ne incidatis in temptationem[3]. 2 Et ideo, credo, temptati sunt, quoniam obdormierunt, ut adprehensum dominum destituerint et qui cum eo perstiterit et gladio sit usus, ter etiam negaverit; nam et praecesserat dictum, neminem intemptatum regna caelestia consecuturum[4].

3 Ipsum dominum post lavacrum statim temptationes circumsteterunt quadraginta diebus ieiuniis functum. Ergo et nos, dicet aliquis, a lavacro potius ieiunare oportet. Et quis enim prohibet, nisi necessitas gaudii et gratulatio salutis? 4 Sed dominus, quantulum aestimo, de figura Israelis exprobrationem in ipsum retorsit[5]. Namque populus mare transgressus et in solitudine translatus per quadraginta annos illic cum divinis copiis aleretur, nihilominus ventris et gulae meminerat quam[6] dei. Deinde dominus post aquam[7] segregatus in deserta quadraginta dierum ieiunia emensus ostendit non pane vivere ho-

8 nunc] ita Junius Oehl. Reiff., *non* B, om. Herald. — 11 *monumenta* B. — 14 *perstitit* B. — 22 et] *est* B. — 23 *in solitudinem* Reiff. cum Junio.

[1] ante oculos ponant. — [2] Matth. 3, 6. — [3] Matth. 26, 41. — [4] Luc. 22, 28 s. — [5] Sensus est: Mihi quidem dominus post baptismum quadraginta dies ieiunasse videtur, non ut nos illud post nostrum baptismum imitemur, sed ut populo Israeli exemplum daret, qui mare transgressus in solitudinem quidem secessit et quadraginta annos in ea mansit, nihilominus autem gula ventris obpressus est. — [6] i. e. magis quam. — [7] post baptismum.

minem dei, sed dei verbo temptationesque plenitudini et immoderantiae ventris appositas abstinentia elidi.

5 Igitur, benedicti, quos gratia dei expectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis et primas manus apud matrem cum fratribus aperitis[1], petite de patre, petite de domino: peculia gratiae, distributiones charismatum subiacent[2]. Petite et accipietis[3], inquit. Quaesistis enim et invenistis; pulsastis et apertum est vobis. Tantum oro, ut, cum petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

6 *gratia* B. — 7 subiacent] ita ego, *subiacere* B Oehl. Reiff., *subiacente* Gel., *charism. distr. subiacere* delet Harnack.

[1] Fideles orabant manibus expansis. — [2] i. e. vobis praesto sunt. Pat. 7 (p. 11, 8) nec maior ad pecuniae contemptum exhortatio subiacet; Carn. res. 7 (p. 36, 17) porro si universa per carnem subiacent animae; Marc. III 15 (p. 400, 28) Christi vero nomen . . . nec in communicationem alii deo subiacet. — [3] Matth. 7, 6.

PS.-CYPRIANI DE REBAPTISMATE.

Non debere denuo baptizari qui semel in nomine Domini Iesu Christi sint tincti.

Animadverto quaesitum apud fratres quid potius observari oportet in personam eorum, qui in haeresi quidem sed in nomine Dei nostri Iesu Christi sint tincti, postmodum inde digressi et suppliciter ad ecclesiam Dei advolantes, totis praecordiis paenitentiam agerent et erroris sui damnationem nunc demum intellegentes auxilium salutis ab ea implorarent, utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica post illud[1] quod foris quidem sed in nomine Iesu Christi Domini nostri acceperunt baptisma tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum spiritum sanctum sufficeret et haec manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum eis praestaret, an vero etiam iteratum baptisma his necessarium esset

Signa: h = cod. Vat. Barb. 653, saec. XVII; r = cod. Vat. Reg. 324, saec. XVII; Bal. = ed. Baluzius 1726; Hartel = ed. Hartel 1871; Oxon. = ed. Oxoniensis 1682; Rig. = ed. Rigaltius 1648; Routh = ed. Routh 1848.

2 Domini] + *nostri* Bal. — 3 Hi duo tituli teste Rigaltio in vetere codice Remensi legebantur. — 5 *oporteret* Hartel; cfr. infra p. 67, 1: igitur dicens quemadmodum geminari potest. — 6 *[sint]* Hartel. — 10 illud] ita coni. Routh, *illum* cet. — (quod] *qui* h Rig. — 11 domini nostri] *domini non* r Bal., *dominicum* h Rig. Sirmond. Etiam infra p. 61, 1 pro *dominus noster* in codd. et edit. legitur *dominus non*.

[1] Traditum est *illum*, quod pro *illud* in posteriore latinitate saepius occurrit (Neue, Formenlehre der lat. Sprache, 3. ed. 1892, II 426; Roensch, Itala und Vulgata, 2. ed. 1875, 276). Sed aliis locis huius tractatus *illum* pro *illud* traditum non est.

tamquam nihil habituris, si hoc quoque adepti ex integro non fuissent, perinde ac si numquam baptizati in nomine Iesu Christi forent. Ideoque nonnulla super hac nova quaestione scripta aut rescripta esse iactabantur, quibus utraque pars ad destruenda aliena summo studio nitebatur. In quo genere quaestionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret, cum locum contradictioni [non] quemlibet animadverteret. Namque omne quod anceps et ambiguum et in diversis sententiis prudentium ac fidelium virorum constitutum est, si contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem iudicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita et ordinata, quodcumque est illud quod contra ecclesiarum quietem atque pacem in medium producatur, nihil praeter discordias et simultates et schismata ⟨sit⟩ allaturum; ubi nullus alius fructus reperiatur nisi hic solus, ut unus homo, quicumque ille est, magnae prudentiae et constantiae esse apud quosdam leves homines inani gloria praedicetur et haereticorum stupore[1] praeditus, quibus hoc unicum perditionis solacium est si non soli peccare videantur, errores et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur. Haereticorum enim omnium hoc studium atque propositum est sanctissimae matri nostrae ecclesiae eiuscemodi et plurimas quantas calumnias nectere et invenisse aliquid, quod ei crimini vel etiam leviter dari posset, summam gloriam ducere. Quod cum nullum sanae mentis fidelium tenere vel maxime nullum omnino in quocumque clero[2] constitutum ac multo magis episcoporum audere deceat,

10 *non* delendum mihi videtur esse. — quod] ita h r Rig. Bal.; + *et* Hartel. — 17 praeter] om. r Bal. — ⟨sit⟩ hoc recte add. Routh. — 30 *episcopum* mavult Routh.

[1] i. e. admiratione, adclamatione. Non recte Routh cum Rigaltio explicat: arrogantia, superbia. — [2] i. e. in quolibet ordine clericorum.

monstri simile est ipsos episcopos talia scandala cogitare et turpitudinem matris ecclesiae, si quam putant in hoc negotio esse, contra praeceptum legis et omnium scripturarum nimis inreverenter cum sua ipsorum turpitudine et periculo non vereri detegere, quamquam nulla sit in hoc nisi in errore ipsorum illorum turpitudo ecclesiae. Itaque deterius delinquitur ab hominibus eiusmodi, si id quod in observatione antiquissima aliis[1] tamquam non recte fiat reprehenditur[2], et ab his qui ante nos fuerunt, tum etiam a nobis recte observatum esse et observari manifeste ac fortiter ostendatur, ita ut, etsi paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen quia non poterat id quod innovabatur sine dissensione fratrum et damno ecclesiastico consistere, utique non deberet contra fas quod aiunt et nefas, id est contra bonum et aequum, ecclesiae matri quasi macula temere infligi, eisque qui hoc adtentarent audaciae huius atque impietatis ignominia merito deberet adscribi. Sed quoniam non est in nostra potestate ut secundum praeceptum apostoli id ipsum[3] dicamus omnes neve sint in nobis schismata, tamen in quantum possumus conitimur huius tractatus statum demonstrare et turbulentis hominibus, ut vel nunc suum negotium agere incipiant, persuadere, consecuturis plurimum etiam nobis, si hoc quoque consilio sano tandem voluerint adquiescere. Et ideo quaecumque sanctarum scripturarum ad hanc partem pertinentia sunt capitula necessario in unum congeremus, et quae videntur esse diversa aut varia quantum poterit manifeste inter se conglutinabimus et utilitatem ac commodum singulorum pro mediocritate nostra exa-

4 sua] ita h r Rig., *ipsa* Bal. Hartel. — 8 aliis] *ab iis* Bal. Routh. — 13 deberet] ita Birt (Zeitschr. f. wiss. Theol. 1897, 559[1]), *debeat* cet. — 16 *debeat* h Rig. — 26 *poterint* r.

[1] i. e. adversus alios. — [2] Sensus est: Maxime vituperandum est, si quis nostrum id, quod antiquis temporibus tamquam non recte a quibusdam factum damnatum est, tamquam recte factum laudet. — [3] τὸ αὐτό.

minabimus, ut agendi in ecclesia formam et consuetudinem saluberrimam atque pacificam universis fratribus insinuemus.

2. Igitur adgredientibus tractatum salutaris et novi hoc est spiritalis et evangelici baptismatis in primis occurrit notissima omnibus praedicatio celebrata atque coepta ab Ioanne baptista, qui aliquantum desciscens a lege id est Moysi antiquissimo baptismate et viam novae et verae gratiae praesternens et baptismate quod interim exercebat aquae et paenitentiae sensim aures Iudaeorum praeveniebat et occupabat spiritalis baptismatis futuri annuntiatione, adhortans eos et dicens: Qui post me venit fortior me est, cuius ego non sum dignus corrigiam calciamenti solvere; ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni[1]. Propter quod nobis quoque huius sermonis orsus hinc incipere debebit. Nam et Dominus hanc eandem vocem Ioannis post suam resurrectionem in actis apostolorum confirmans praecepit eis ab Hierosolymis non discedere, sed exspectare illam promissionem patris quam audistis a me, quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies[2]. Itemque Petrus eadem verba Domini percensuit, rationem pro se apud apostolos reddens dicendo: Cum autem inciperem loqui ego, irruit spiritus sanctus super eos, sicut et super nos in principio, et recordatus sum sermonem Domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo aequale donum dedit eis sicut et nobis credentibus Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem probibere Domino[3]? Et iterum: Viri fratres, scitis quia a diebus antiquis in

1 agendi] ita h Hartel, *accendi* r Bal., *tacendi* coni. Rig., *accedenti* coni. Oxon., *attendi* coni. Bal., *accenseri* coni. Routh. — 6 *Moysis* h Bal., *Moyse* r Rig. — 7 *[et] baptismate* Hartel, *ex bapt.* coni. Routh. — 17 *ne* h² Rig.

[1] Matth. 3, 11; Marc. 1, 7 s.; Luc. 3, 16. — [2] Act. 1, 4 s. — [3] Act. 11, 15—17.

nobis Deus elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere, et qui corda novit Deus testimonium perhibuit dans eis spiritum sanctum sicut et nobis[1]. Ac propterea huius sententiae quae sit vis et potestas considerare debemus. Ait enim Dominus eis qui postmodum baptizari haberent, quia crederent, baptizandos esse, non quemadmodum a se in aqua in paenitentiam, sed in spiritu sancto. De qua praedicatione cum utique nemo nostrum possit ambigere, manifestum est, qua ratione homines in spiritu sancto baptizati sint; nam et proprie in ipso solo sancto spiritu baptizati sunt qui crediderunt, quia Ioannes discrevit et divisit dicens se quidem in aqua baptizare, venturum autem qui in spiritu sancto baptizet, gratia et virtute Dei vivi (?) dona occulta largiente et operante, nihilominus autem etiam in baptismate spiritus et aquae, praeterea etiam in baptismate spiritus in sanguine proprio uniuscuiusque, sicut declarant nobis sanctae scripturae, quarum per singula quaeque eorum quae enarrabimus adferemus perspicuas probationes.

3. Ad quae forte tu, qui novum quid inducis, continuo impatienter respondeas ut soles dixisse in evangelio Dominum: Nisi quis denuo natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum caelorum[2]. Ex quo manifeste apparet illi baptisma solum prodesse cui possit etiam spiritus sanctus inesse; super ipsum enim Dominum cum baptizaretur spiritum sanctum descendisse factumque eius atque dictum pariter congruere nec alia ulla ratione mysterium istud posse consistere. Cui responso nemo nostrum adeo ita insanus reperitur aut contumax ut audeat contra fas aut contra verum contradicere, scilicet rebus integris et omni modo ita in ec-

7 a se] cfr. p. 51, 2: baptismate Domini fuissent baptizati. — 11 divisit] ita Schueler (Zeitschr. f. wiss. Theol. 1897, 559[1]), *dixit* cet. — 13 Dei vivi dona] ita ego, *Dei sunt et hoc et* h r Rig. Bal. Hartel, *Dei sanctum hoc et* coni. Routh, *Dei et hoc et* Ernst. — 27 *a Deo* coni. Routh.

[1] Act. 15, 7 s. — [2] Ioh. 3, 5.

clesia gerundis et secundum disciplinae ordinem perpetuo a nobis observandis. Sed si in eodem novo testamento haec, quae in isto negotio deprehendimus adunata, nonnumquam reperiantur quodam modo divisa ac separata et proinde disposita atque si sint singula, videamus utrum possint esse aliquando etiam singulariter solitaria, quasi non sint mutila sed tamquam integra atque perfecta. Nam cum per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti spiritus sanctus, sicut apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manum eis imponendo fecerunt, et hac ratione spiritum sanctum in eos contulerunt, quod ut fieri posset ipsi pro eis oraverunt — nondum enim super quemquam eorum deciderat spiritus, tantum autem baptizati erant in nomine Domini Iesu[1] —: Domnius quoque noster post resurrectionem, cum insufflasset et dixisset apostolis suis accipite spiritum sanctum[2], ita demum largitus eis spiritum sanctum.

4. Cum ita invenitur, quid tibi, frater, videtur? Si quis non ab episcopo baptizatus, ita ut si in continenti etiam manus ei imponatur, priusquam tamen acciperet spiritum sanctum fuerit defunctus, utrum censeas salutem percepisse eum necne? Quoniam quidem et ipsi apostoli et discipuli, qui etiam alios baptizabant, qui etiam a Domino sint baptizati[3], non statim spiritum sanctum acceperint, qui nondum erat[4], quia Iesus nondum fuerat clarificatus, sed post resurrectionem eius nec

1 *gerendis* h Rig. — 2 *si* om. h. — 3 *non* om. h. — 5 *singularia* h. — 9 *sic et* coni. Hartel. — 12 deciderat] ita Bal. Routh, *descenderat* cet. (graece ἐπιπεπτωκώς). — 15 *sufflasset et dixit* h. — 18 *ita ut sic* h. — 19 acciperet] ita h Rig., *accipiat* r Bal. Hartel. — 22 alterum *qui etiam* uncis inclusit Hartel. — sint] ita r Bal., om. h Rig. Hartel.

[1] Act. 8, 15 s. — [2] Ioh. 20, 22. — [3] Apostolos a domino baptizatos esse anonymus etiam in c. 6 init. narrat. Aliter Tertullianus (de bapt. 12): quomodo ex ista praescriptione apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in domino praeter Paulum. — [4] Post 'erat' Routh supplet 'datus'; at cfr. Ioh. 7, 39: οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα, et infra c. 14 (p. 66, 26): 'nondum autem erat spiritus'.

modicum intervallum temporis quo id gestum est intercesserit, sicuti et cum baptizati sunt a Philippo Samaritani, donec Samariam rogati ab Hierusalem apostoli descenderent ad illos, ut eis manum imponerent et spiritum sanctum per manus impositionem in eos conferrent, quoniam illo intervallo temporis aliquis eorum non adeptus spiritum sanctum morte potuit intercipi et defraudatus gratia spiritus sancti defungi. Quod hodierna quoque die non potest dubitari esse usitatum et evenire solitum, ut plerique post baptisma sine impositione manus episcopi de saeculo exeant, et tamen pro perfectis fidelibus habentur. Sicuti Aethiops eunuchus cum rediret ab Hierusalem et legeret prophetam Esaiam et haesitaret suggerente spiritu audita veritate a Philippo diacono credidit et baptizatus est, et cum ascendisset de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, et non vidit eum iam nunc amplius eunuchus; abibat enim viam suam gaudens[1], quamquam, ut animadvertis, imposita ei manus non est ab episcopo, ut spiritum sanctum acciperet. Quod si hoc admittis et salutare esse credis nec opinioni omnium fidelium refragaris, necesse est confitearis, proinde autem atque hoc latius tractatu procedit, etiam illud aliud latius posse consistere, id est ut per solam manus impositionem episcopi, quia baptisma in nomine Iesu Christi Domini nostri praecessit, possit alio homini paenitenti atque credenti etiam spiritus sanctus tribui, quoniam eos qui in Christum crediturі essent scriptura sancta praedixit oportere in spiritu baptizari, ita ut et hi quoque non videantur minus aliquid habere quam illi qui perfecti sunt christiani, nec necesse sit

1 *ex quo* coni. Routh. — 2 sunt] om. h Rig. — 5 quoniam illo] ita h Rig. Gallandi, *vel quoniam illo* r Bal., *quoniam vel illo* Hartel, *vel quodam illo* coni. Routh. — 10 *habeantur* corr. Routh. — 16 quamquam] ita proponit aliquis apud Baluzium idque probant Baluze et Routh et in textum recepit Hartel; *quoniam* cet. — 23 *alii* h², *alieno* (i. e. haeretico) prop. Routh. — 27 nec] ita h (sed littera c erasa) et Bal., *ne* Rig., om. r.

[1] Act. 8, 39.

quaeri quale illud baptisma fuerit, quod in nomine Iesu Christi sunt consecuti. Nisi forte in illo quoque superiore tractatu circa eos, qui tantum modo in nomine Christi Iesu baptizati fuerint, statuas etiam sine spiritu sancto posse salvos fieri, aut non hac sola ratione, id est per manus impositionem episcopi, spiritum sanctum consuesse praestari aut etiam non episcopum dicas spiritum sanctum solitum esse largiri[1].

5. Quod si ita est et potest aliquid horum eveniens salutem homini credenti non praeripere, tu quoque ipse annuis quodam modo dimidiatum et non ut contendis consummatum mysterium fidei, qua[2] necessitas intervenit, salutem adimere non posse credenti et paenitenti homini. Aut si dicis huiusmodi hominem salvum non posse fieri, omnibus episcopis salutem adimis, quos ita periculis quam certissimis adstringis, ut omnibus hominibus qui sub cura eorum agunt et hac atque illac dispersis regionibus ipsorum infirmantur per semet ipsos subvenire debeant, quia ceteri homines minoris cleri iis qui periclitantur hoc idem praestare non possint, ne sanguis eorum qui vacui de saeculo exisse videbantur de manu episcoporum necesse habeat requiri. Porro autem, ut non ignoratis, credentibus hominibus invenitur spiritus sanctus a Domino datus sine

5 id est] ita Schueler (l. l.), *sed si* cet.; cfr. c. 10: baptismate spiritali id est manus impositione episcopi. — 6 aut] *ut* h. — 7 *solum* r Rig. Routh. — 9 quodam] ita coni. Routh. *quoniam* h r Rig. Bal. Hartel, *quonam* Gallandi. — 11 qua] *quia* coni. Routh, *si qua* Hartel. — 13 adimis] ita coni. Routh, *adimimus* cet. — 15 *atque hac* h. — 16 *eorum* h. — 17 minoris cleri iis] ita coni. Routh, *minores clericis iis* h, *minores clericis* cet.; cfr. p. 43, 29 in quocumque clero, p. 59, 14 a minore clero, p. 63, 8 clero aliquo honoratius. — 19 videbantur] ita h Rig., *videbuntur* r Bal. Hartel.

[1] Sensus est: 'nisi forte statuas aut sine spiritu sancto posse homines salvos fieri, aut spiritum sanctum praestari solere alio modo nisi per manus episcopi, aut per alium hominem, qui non est episcopus, spiritum sanctum tribui solere'. Itaque non est causa, cur cum Kochio (Die Tauflehre des Liber de reb. 1907, 41) ante 'posse salvos fieri' addamus particulam '*non*', quae etiam sensui prorsus contraria est. — [2] i. e. ubi vel in quantum.

baptismate aquae, sicut actis apostolorum continetur in hunc modum: Adhuc loquente Petro verba haec irruit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupefacti sunt qui erant ex circumcisione fideles quotquot simul venerant cum Petro, quia et super gentes donum spiritus sancti effusum est; audiebant enim eos loquentes linguis suis et magnificabant Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aliquis aquam prohibere potest ut non baptizentur isti qui spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? Et praecepit eos baptizari in nomine Iesu Christi[1]; sicut etiam idem Petrus postmodum de eisdem gentibus plenissime docuit nos dicens: Et nihil discrevit inter nos et ipsos, fide emundatis cordibus eorum[2]. Atque hoc modo non erit dubium in spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari, sicut animadvertis baptizatos hos prius quam aqua baptizarentur, ut satisfieret et Ioannis et ipsius Domini praedicationibus, quandoquidem hi et sine manus impositione apostolorum et sine lavacro quod postea adepti sunt gratiam repromissionis acceperint et emundatis cordibus eorum Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul eis largitus sit, ut hoc solum eis baptisma subsequens praestiterit, ut invocationem quoque nominis Iesu Christi acciperent, ne quid eis deesse videretur ad integritatem ministerii et fidei.

6. Quod etiam e contrario latere tractatus huius sunt consecuti ipsi illi discipuli Domini nostri, super quos iam pridem baptizatos postremo die pentecostes supervenit spiritus sanctus, voluntate Dei quidem non sua sponte[3] caelo lapsus, sed

2 *hac* r. — 5 *venerint* r. — 10 *sicuti* h. — 11 in nomine] + *domini* h. — *idem* om. h Rig. — 14 hoc modo] ita r, *hoc* (sine *modo*) cet. — 17 hi et] ita r, *haec* h Rig., *et hi* Bal. Hartel. — 19 et emundatis] ita Oxon., *et inmundatis* h r Rig., *et sic paullo ante emundatis* Bal. Hartel. — 24 *mysterii fidei* coni. Hartel.

[1] Act. 10, 44—48. — [2] Act. 15, 19. — [3] i. e. a Iesu missus, non sua sponte lapsus.

ad hoc ipsum munus effusus sedit super unumquemque eorum, cum isti iam pridem, ut diximus, baptismate Domini fuissent baptizati, sicut et ipsi apostoli, qui tamen omnes Dominum nocte qua apprehensus est deseruisse inveniuntur, et ille ipse qui gloriatus est perseveraturum se in sua fide Petrus et adversus ipsius Domini praedictum obstinatissime repugnavit, postremo tamen eum etiam negavit, ut[1] hac ratione ostenderetur nobis quae medio tempore quoque modo contraxerant delicta, eadem haec in eis fide postmodum sincerata per baptisma spiritus sancti non dubie esse dimissa. Nec ulla, ut puto, alia ex causa apostoli his quos in spiritu sancto adloquebantur praeceperant ut in nomine Christi Iesu baptizarentur, nisi quia virtus nominis Iesu super quemcumque hominum baptismate invocata ad salutem adsequendam non modicam praerogativam ei qui baptizaretur praestare posset, sicuti Petrus in actis apostolorum enarrat dicens: Nec enim aliud est nomen sub caelo quod datum est hominibus, in quo oportet salvos fieri nos[2]. Sicut etiam apostolus Paulus aperit ostendens, quia Deus exaltavit Iesum Dominum nostrum et donavit illi nomen ad hoc ut sit super omne nomen, ut in nomine Iesu omnes genua curvent[3] caelestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus est Iesus in gloria patris[4], et ille in quo cum baptizaretur invocatum

1 effusus] ita coni. Routh cum viro docto aliquo apud Baluzium; *effusum* cet. — sedit] ita h² et r², cfr. Act. 2, 3 καὶ ἐκάθισεν; *sed re* r¹, *sed et* Rig., *sedet* cet., *sedens* coni. Routh. — 2 isti] ita h et coni. Rig., *iusti* cet. — 4 *Domino* Rig. — 7 eum etiam] ita r Bal., *ter etiam* h et coni. Rig., *tum etiam* Rig. Hartel. — 8 quoque] ita h Rig., *quoquo* cet. — 9 sincerata] ita h r Rig., *sincera* Bal. Hartel; de verbo *sincerare* cfr. Diom. 364, 28. — 12 *praeceperant... baptizarentur* om. h Rig. — 16 *narrat* h Rig. — 19 *Paulus* om. h.

[1] Hoc *ut* pendet a verbo *sedit*. — [2] Act. 4, 12. — [3] Cypr. test. II 13 (p. 79, 7): ut in nomine Iesu omnes genu curvent. — [4] Phil. 2, 9—11.

esset nomen Iesu, licet in aliquo errore conversaretur tamen quandoque[1] non prohiberetur rectum sapere et errorem suum corrigere et ad ecclesiam et ad episcopum venire et sinceriter confiteri Iesum nostrum coram hominibus, ut tunc, cum ab episcopo ei manus imponeretur, etiam spiritum sanctum acciperet, nec invocationem illam pristinam nominis Iesu amitteret, quam nemini nostrum licet damnare, quando haec nuda et singularis, si in errore sit constituta, non possit ad salutem praestandam sufficere, ne hac ratione etiam ethnicos et haereticos abutentes nomen Iesu credamus ad salutem sine vera re atque integra posse pervenire. Quam tamen invocationem nominis Iesu correctione erroris et agnitione fidei veritatis et abscisa omni labe praeteritae conversationis mysterio Dei circa eiusmodi homines rite perpetrato locum quem habitura non erat obtinere et postremo in fide recta et ad integritatem signi praestandam non obesse supplemento eius quod deerat accedente perquam utile est credere, et tot annorum totque ecclesiarum itemque apostolorum et episcoporum auctoritati cum bona ratione adquiescere, cum sit maximum incommodum ac dispendium sanctissimae matris ecclesiae adversus prisca consulta post tot saeculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione insurgere. Nec enim propter aliud Petrus, qui iam fuerat baptizatus et quid sentiret de Domino ab ipso Domino erat interrogatus, et veritate revelationis patris caelestis in eum collocata[2], quod Dominus noster non solum Christus, verum etiam filius Dei vivi esset confessus, postmodum eidem Christo praedicanti de sua passione

1 nomen] ita coni. Routh, *in nomine* cet. — conversaretur] ita ego, *consequeretur* cet.; cfr. p. 56, 9: denique cum conversarentur in Galilaea. — 7 quando] ita (quando c. coni. = quamquam) ego, *quam* r, *quum* cet., *quamquam* coni. Routh. — 8 possit] ita Birt (l. l.), *posset* cet. — 9 *praestando* h. — 14 perpetrato] ita ego, *perpetratam* cet.

[1] i. e. interdum. — [2] Matth. 16, 17.

refragatus esse monstratus est, et propterea satanas dici ostensus est, nisi quia futurum erat ut quidam tametsi variantes in sententia propria et claudicantes aliquando in fide atque doctrina, cum in nomine Iesu baptizarentur, tamen si intervallo quodam temporis recorrigere id potuissent, non propterea a salute exciderent, sed, quandoque[1] resipuissent, integram spem salutis paenitendo obtinerent, praesertim cum spiritum sanctum, quo baptizari unusquisque hominum debet, accipiendo aliquid tale designassent. Sicuti non solum Petrum hoc passum esse in evangelio deprehendimus verum universos quoque discipulos, quibus iam baptizatis postea Dominus ait quia vos omnes scandalizabimini in me[2], qui omnes ut animadvertimus correcta fide sua post resurrectionem Domini in spiritu sancto sunt baptizati, ut non immerito hodie quoque credamus homines correctos a pristino errore in spiritu sancto posse baptizari, qui, cum aqua baptizarentur in nomine Domini, aliquo[3] scabram habuissent fidem; quoniam multum interest utrum in totum quis non sit baptizatus in nomine Domini nostri Iesu Christi, an vero in aliquo claudicet cum baptizatur baptismate aquae, quod minus est, dummodo postea constet in veritate sincera fides in baptismate spiritus, quod non dubie maius est.

7. Nec aestimes huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: Ite, docete gentes, tinguite eos in nomine patris et filii et spiritus sancti[4]. Quia cum hoc verum et rectum et omnibus modis in ecclesia observandum sit et observari quoque solitum sit, tamen considerare oportet quod

9 accipiendo] ita ego, *acciperent* cet. — 17 aliquo] id coni. Rig. et probat Routh, *aliquod* h[1] r Rig., *aliquot* h[2], *aliquando* Bal. Hartel. — 20 *baptismata ea quae* r et cod. Remensis teste Rigaltio. — 22 non dubie] om. h Rig.; *non dubie* etiam legitur c. 6 (p. 51, 10) et c. 12 (p. 63, 1).

[1] i. e. quandocumque. — [2] Marc. 14, 27. — [3] i. e. aliqua ex parte, aliquatenus; cfr. Quint. XI 3, 140: aliquo supra; Tert. de carne Chr. 14: plane prophetis aliquo gloriosiorem. — [4] Matth. 28, 19.

invocatio nominis Iesu non debet a nobis futilis videri propter venerationem et virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes omnes solent fieri et nonnumquam aliquae etiam ab hominibus extraneis[1]. Ceterum quo pertinent[2] illa verba Christi, qui negaturum se esse dixit nec nosse eos qui sibi in die iudicii dicturi essent: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes magnas fecimus, respondendo eis etiam cum iureiurando quia numquam cognovi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem[3], nisi ostenderetur nobis nonnumquam etiam ab his qui operarentur iniquitatem posse per nimiam virtutem nominis Iesu etiam haec fieri? Idcircoque debet invocatio haec nominis Iesu quasi initium quoddam mysterii dominici commune nobis et ceteris omnibus accipi, quod possit postmodum residuis rebus impleri, alias non profutura talis invocatio cum sola permanserit, quia post mortem eiusmodi hominis non potest ei quicquam omnino adici vel suppleri aut in aliquo prodesse in die iudicii, cum illi a Domino nostro quae supra memoravimus coeperint exprobrari; qui tamen universi hodie ut sibi his modis subveniant quibus supra ostendimus, non possunt ab ullo hominum tam dure tamque crudeliter prohiberi.

8. Sed ad haec, ut soles, contradices, opponendo nobis tunc cum baptizarentur integre ac recte discipulos ac non ut hos haereticos esse baptizatos. Quod ex persona ipsorum et eius qui baptizavit illos sumas necesse est. Et ideo nos ad propositionem hanc tuam non ut accusatores discipulorum Domini respondemus, sed sicuti compellimur, quia

13 fieri? Idcirco[que] ita ego, *fieri. Idcircoque* cet., *fieri idcirco quae* h r Rig. — 15 quod] *quia* h r Rig. — 16 *tali invocatione* coni. Routh. — 19 *illa* h r Rig. — 22 *homine* h r.

[1] Non domesticis fidei, extra ecclesiam constitutis (Rigaltius). — [2] i. e. quid sibi volunt. — [3] Matth. 7, 22 s.

necesse est ubi et quando et quemadmodum unicuique nostrum salus sit praestita rationibus investigemus. Namque natum esse Dominum nostrum et Christum esse eum multis rationibus a discipulis eius non immerito credi videbatur, quod ex tribu Iuda, quod ex genere David quodque in civitate Bethleem fuisset natus et quod pastoribus ab angelis quoniam salvator illis natus esset eodem momento fuisset annuntiatus, quod in oriente visa eius stella sollicitissime fuisset a magis requisitus et adoratus et illustribus donis et insignibus muneribus honoratus, quod puer admodum in templo sedens cum legis doctoribus prudenter et cum admiratione omnium disputasset, quod cum baptizaretur, ita ut nulli alii contigerat, caelis apertis descensione spiritus sancti et super eum mansione testimonio etiam patris sui itemque Ioannis baptistae fuisset clarificatus, quod supra humanam mediocritatem corda et cogitationes universorum intelligeret, quod languores et vitia et valetudines cum potestate maxima curaret atque sanaret, quod remissiones peccatorum cum evidenti probatione praestaret, quod daemonia iussu expelleret, quod leprosos verbo mundaret, quod aquam in vinum convertendo convivium nuptiale admirabili laetitia amplificaret, quod caecis visionem restitueret aut indulgeret, quod doctrinam patris cum omni fiducia assereret, quod in loco deserto de quinque panibus quinque milia hominum saturaret, quod reliquiae atque buccellae plus quam duodecim cophinos implerent, quod mortuos pro sua pietate passim suscitaret, quod ventis et mari ut quiescerent imperaret, quod super mare pedibus ambularet, quod virtutes omnes omnino perficeret.

9. Quibus rebus et huiuscemodi compluribus factis ad claritatem eius pertinentibus consequens esse videbatur, ut, quemadmodum Iudaei de Christo[1] sentiunt, quod tamen de Iesu

7 quod] *quo* Hartel.

[1] i. e. de Messia venturo.

Christo Domino nostro non credunt, (ut) etiam ipsi existimarent, ut talis et tantus nulla obita morte in aeternum perseveraret, et regnum Israel et totius orbis in perpetuum quod non corriperetur possideret. Unde etiam Iudaei ausi fuerunt eum rapere et in regnum unguere, quod quidem necesse habuit ille subterfugere; ac propterea discipuli eius arbitrabantur quod nulla alia ratione vitam aeternam his praestaturus esset, nisi primum ipse vitam hanc temporalem cum illa aeterna in se ipso continuasset. Denique cum conversarentur in Galilaea, dixit eis Iesus: Incipit filius hominis tradi in manus hominum et interficient eum, et post triduum resurget[1]. Et contristati sunt nimis, quia, sicuti diximus, longe diversum prius animis ac mente conceperant. Denique hic fuit etiam Iudaeorum sermo contradictionis adversus eum, cum se ipse quidem doceret[2] eos et futura annuntiaret, illi autem dicerent: Nos audivimus a lege quia Christus manet in aeternum: et quomodo tu dicis quia exaltari oportet filium hominis[3]? Itaque fuit discipulorum eadem haec praesumptio de Christo, prorumpente in istum sermonem incredulitatis suae Petro ipso duce ac principe apostolorum. Cum enim a Domino simul cum ceteris fuisset interrogatus quidnam sentiret de ipso, id est quem esse eum existimaret, et primo veritatem confessus fuisset dicens esse eum Christum filium Dei vivi et propterea beatus ab illo iudicatus esset, quod hoc non carnaliter sed per patris caelestis revelationem adsecutus esset, idem tamen, ubi coepit Iesus ostendere disci-

1 *ut* delendum putat Routh. — 2 ita coni. Routh, *perseveret* cet. — 3 *corrumperetur* coni. Bal. — 4 *fuerant* h. — 5 *regem* h. — 6 subterfugere] ita h, cod. Remensis (teste Rigaltio), Hartel; *superfugere* r Rig. Bal. — 12 *quia*... *animis* om. h Rig. — 20 *incrudelitatis* Hartel.

[1] Marc. 9, 31. — [2] Docebat se Christus, docens se esse natum hominem crucifixum sepultum, postea vero surrexisse ac revixisse (Rig.). — [3] Ioh. 12, 34.

pulis suis quia oportet eum Hierosolymam ire et multa pati a senioribus et sacerdotibus et scribis et interfici et post diem tertium resurgere, nihilominus ille verus Christi confessor post pauculos dies assumpto eo coepit illum corripere dicens: propitius sit tibi[1], non erit istud, ita ut propterea audire a Domino commeruerit: vade post me satanas, scandalum mihi es, ob hoc quod non saperet ea quae sunt Dei sed ea quae sunt hominum. Quae increpatio adversus Petrum magis magisque eluxit adprehenso Domino, cum a muliercula conterritus diceret: nescio quid dicas neque novi te[2], et iterum cum hoc idem diceret adhibito iureiurando et tertio devotans et iurans[3] adfirmaret quoniam non nosset hominem et non semel sed saepius eum negaret, quod consilium ei, quoniam usque ad passionem Domini perseveraturum erat, multo prius a Domino palam factum est, ut nos quoque id non ignoremus. Denique post resurrectionem Domini unus e discipulis eius Cleopas cum esset maestus secundum errorem omnium condiscipulorum suorum, ipsi Domino tamquam alicui ignoto referens quod contigerat, sic locutus est dicens: De Iesu Nazareno, qui fuit propheta potens in factis et dictis in conspectu Dei et universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et cruci eum

1 oportet] ita h r Rig., *oporteret* Bal. Hartel; cfr. Matth. 16, 21: ὅτι δεῖ αὐτόν, quod in codice *e* Italae ita vertitur: *quia oportet illum* (Soden, Das lat. Neue Test. p. 288 et 402). — 4 *corrigere* h. — 5 istud] om. r. — ita] om. h Rig. — 11 idem] om. h Rig. — 13 negaret] ita coni. Routh, *negasset* cet. — 23 eum]. om. h Rig.

[1] Matth. 16, 22: ἵλεως σοι, Itala cod. e: 'propitius esto', cod. q: 'propitius tibi', at Vulgata: 'absit a te'. Non recte igitur explicant Rigaltius et Routh vocem *propitius*: 'comparative dictum videtur: propitiora tibi adveniant'; re vera ad vocem *propitius* supplendum est cum graeco textu: *deus*. — [2] Marc. 14, 68: οὐκ οἶδα οὔτε ἐπίσταμαι σὺ τί λέγεις. — [3] Marc. 14, 71 ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύναι, quod in vetere versione Itala vertitur: coepit devotare se et iurare (v. Soden, Das lat. Neue Test. p. 429).

fixerunt; nos autem sperabamus quod ipse erat redempturus Israel[1]. Iuxta quae omnes quoque discipuli adseverationem quoque mulierum, quae post resurrectionem viderant Dominum, iudicaverunt deliramenta et quidam ipsorum viso eo non crediderunt sed dubitaverunt, quique tunc non interfuerunt omnino non crediderunt, nisi postmodum ab ipso Domino omnibus modis fuissent obiurgati atque increpati; quoniam mors eos ita offenderat ut putarent eum non resurrexisse, quem innuerant mori non debuisse, quia contra opinionem ipsorum semel[2] mortuus fuisset. Itaque quod ad ipsos discipulos pertinet, neque integram neque perfectam fidem habuisse his modis quibus retulimus inveniuntur, et quod multo gravius est, sicut in evangelio circa[3] Ioannem scriptum est, etiam alios baptizabant.

10. Praeterea quid dicturus es de his qui plerumque[4] ab episcopis pessimae conversationis baptizantur, qui tamen tandem, cum Deus voluerit, in sceleribus suis convicti, etiam episcopatu aut prorsus etiam communicatione privantur? Aut quid statues de eis qui ab episcopis prave sentientibus aut imperitioribus fuerint baptizati, quando non ad liquidum et integre vel etiam aliter quam oportet in traditione sacramenti fuerint locuti, certe aut interrogaverint quid aut interrogantes a respondentibus audierint[5] quod minime ita interrogari aut responderi debet, quod tamen non valde illam nostram rectam fidem laedat, sed

1 *esset* r. — 9 innuerant] ita Rig. Hartel, cfr. Luc. 24, 21: nos autem sperabamus squ.; *timuerant* h r et cod. Remensis (teste Rigaltio), *crediderant* Bal. — 13 circa] ita h r et cod. Remensis (teste Rig.), *cata* coni. Rig. et scripserunt Bal. Routh Hartel. — 17 episcopatu] ita coni. Hartel, *ipso* h r Rig., *ipso munere* Oxon. Bal. Hartel, *ipso ordine* Routh.

[1] Luc. 24, 19—21. — [2] i. e. in perpetuum (ein für allemal); hoc sensu *semel* saepe a Tertulliano usurpatur. — [3] i. e. secundum (κατά), ut saepius in posteriore latinitate (Thesaurus l. l. III 1095). — [4] i. e. saepe. — [5] De interrogationibus, quae fiebant in baptismo administrando cfr. quae supra ad Tert. de bapt. c. 6 adnotavi.

non tam ornate ut tu et composite, isti quoque simpliciores homines mysterium fidei tradant? Dicturus es enim utique pro tua singulari diligentia hos quoque denuo baptizandos esse, cum maxima eis res desit aut obstet quo minus inviolabile illud divinum mysterium fidei intemeratum possint accipere. Sed enim, virorum optime, reddamus et permittamus virtutibus caelestibus vires suas, et dignationi divinae maiestatis concedamus operationes proprias, et intellegentes quantum in ea sit emolumentum libenter ei adquiescamus. Et ideo cum salus nostra in baptismate spiritus, quod plerumque cum baptismate aquae coniunctum est, sit constituta, siquidem per nos baptisma tradetur, integre et sollemniter et per omnia quae scripta sunt adsignetur atque sine ulla ullius rei separatione tradatur; aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum exspectemus, ut aut suppleatur a nobis aut a Domino supplendum reservetur; si vero ab alienis[1] traditum fuerit, ut potest hoc negotium et ut admittit, corrigatur, quia spiritus sanctus extra ecclesiam non sit, fides quoque non solum apud haereticos, verum etiam apud eos qui in schismate constituti sunt sana esse non possit; idcircoque paenitentiam agentibus correctisque per doctrinam veritatis et per fidem ipsorum, quae postea emendata est purificato corde eorum, tantummodo baptismate spiritali id est manus impositione episcopi et spiritus sancti subministratione subveniri debet. Signum quoque fidei integrum hoc modo et hac ratione tradi in ecclesia merito consuevit, ne invocatio nominis Iesu quae aboleri non potest contemptui a nobis videatur habita, quod utique non oportet, quamquam talis invocatio, si nihil eorum quae memoravimus

4 maxima] ita ego, *maxime* cet.; cfr. p. 52, 10 sine vera re atque integra, p. 59, 13 sine ulla ullius rei separatione. — 6 *vivorum* r Rig. — 8 et] *ut* h Rig. — 9 *libentes* h Rig. — 11 *coniunctus* h^2 r Rig. Routh. — 15 *[a] Domino* Hartel. — 20 idcircoque] om. h^1, *idcirco quae* h^2 r Rig. — 24 debet] ita coni. Hartel, *debeat* cet.

[1] i. e. ab haereticis vel schismaticis.

secutum fuerit, ab operatione salutis cesset ac vacet; dicente enim apostolo unum esse baptisma, necesse est invocatione nominis Iesu perseverante, quia non potest a quoquam hominum quae semel invocata est auferri, si eam contra decretum apostolorum geminare ausi fuerimus nimietate praestandi immo superaddendi baptismatis studio, si ille qui ad ecclesiam revertitur nolit denuo baptizari, futurum esse ut defraudemus baptismate spiritali eum quem putamus defraudandum non esse baptismate aquae.

11. Quid autem statues in personam eius verbum audientis[1], qui forte adprehensus in nomine Christi statim confessus ac priusquam baptizari aqua permitteretur ei fuerit punitus[2], utrum perisse eum pronuntiabis quia non est aqua baptizatus, an vero aliquid extrinsecus patrocinari ei ad salutem existimabis, licet non sit aqua baptizatus? Quod perisse eum existimabis, obviam tibi veniet sententia Domini dicentis: Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram patre meo qui in caelis est[3]; quia nihil interest, utrum hic verbum audiens an fidelis sit qui confitetur Dominum, dummodo ipsum Christum quem confiteri oportet confiteatur, quia Dominus pari vice confitendo et ipse confessorem suum apud patrem honore eum martyrii sui, ut pollicitus est, exornet. Quod utique non debet latius accipi, quasi possit usquequaque porrigi, quia potest Christi nomen etiam haereticus aliquis, qui tamen ipsum Christum negat, confiteri, quia in alium Christum credit, cum Christum confitetur, quod ei prodesse minime possit, si quidem Dominus

1 *serratum* h Rig. — 5 *aut si* h r Rig. — 6 studio] *studiosi* h Rig. — 7 *noluit* h Rig. — esse] ita ego, *est* cet. — 18 et ego] om. r et von Soden, Das lat. Neue Test. p. 273 et 275. — 20 Dominum] ita Hartel, *Domino* cet. — 26 Christum confitetur] ita coni. Routh, *Christus confiteatur* cet.

[1] Verbum audiens (etiam p. 60, 19 et 66, 10) est catechumenus. — [2] i. e. interfectus. — [3] Matth. 10, 32.

noster se ipsum in confessionem a nobis coram hominibus deduci oportere dixit, quod sine ipso et sine venerando nomine eius non potest fieri. Et ideo integrum ac sincerum et incontaminatum et inviolatum utrumque debet consistere confitenti, nullo delectu habito ipsius confessoris, sive ille iustus sive peccator, perfectusque christianus an vero etiam nunc imperfectus, qui summo discrimine suo Dominum confiteri non timuit. Nec est hoc contrarium superiori tractatui; quia illic quidem tempus supererat ad corrigenda quae mutila vel prava sunt, et quoniam quaedam concessa sunt ipsi tantummodo nomini Domini nostri, martyrium autem non nisi in ipso et per ipsum Dominum possit consummari, et idcirco neque Christum sine ipsius nomine quis possit confiteri neque nomen Christi sine ipso Christo ad confessionem cuiquam possit patrocinari.

12. Quapropter totus discernendus est tractatus hic, ut possit manifestior fieri. Namque invocatio nominis Iesu ideo tantum patrocinari potest, si rite suppleta postea fuerit, quia et prophetae et apostoli ita praedicaverunt. Ait enim Iacobus in actis apostolorum: Viri fratres, audite: Simon exposuit quemadmodum primum Deus visitaverit accipere ex gentibus populum nomini suo, et huic consonant sermones prophetarum, sicut scriptum est: Post haec revertar et reaedificabo tabernaculum illud David quod cecidit et quae demolita sunt eius reaedificabo, et denuo erigam illud, uti exquirant residui hominum Deum et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum super eas, dicit Dominus faciens haec[1]. Itaque et residui hominum id est quidam Iudaeorum et omnes gentes

1 noster] ita coni. Rig., cfr. supra ad p. 42, 11; *non* h r Rig. Bal., *non visi* Hartel, *non alium sed* coni. Routh. — 7 *Domino* h r Rig. — 9 mutila] ita coni. Bal. et posuit Hartel, *multa* cet. — 20 *Symeon* h r Rig. — 22 huic] ita Bal., *si* h r Rig. — 23 *hac* h r.

[1] Act. 15, 13—17.

super quas invocatum est nomen Domini possunt et necesse habent requirere Dominum, quia ipsa invocatio nominis praebet eis occasionem vel etiam imponit necessitatem requirendi Dominum; cum quibus, quia percipiunt scripturas sanctas, sive universas sive quasdam, temptamus (?) audentius de veritate tractare quam cum gentilibus, super quos non est invocatum nomen Domini, id est Christi Iesu filii Dei vivi, sicuti nec super Iudaeos, qui veteres tantum scripturas recipiunt; et ideo utriusque huius generis homines, id est Iudaei et gentiles, plene ut oportet credentes pari modo baptizantur. Haeretici vero iam baptizati aqua in nomine Iesu Christi, tantum in spiritu sancto baptizandi sunt, et in Iesu, quod nomen solum datum est sub caelo, in quo oporteat salvos fieri nos, merito mors contemnitur[1]. Quamquam si sic perseverent, salvi esse non possunt, quia non requisiverunt Dominum post invocationem nominis eius super eos, sicut et illi, qui in eos Christos forte credere voluerunt, de quibus Dominus ait: Cavete ne quis vos in errorem inducat; multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus et multos in errorem inducent[2]. Et iterum ait: Tunc si qui dixerit vobis: ecce hic Christus aut hic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et portenta, ita ut errent, si fieri

4 quia percipiunt] ita ego, praecipiunt (sine *quia*) cet. — 5 temptamus] ita ego, *tamen* cet. — 6 cum gentilibus] ita ego, cfr. paulo infra: Iudaei et gentiles; *cum gentibus* cet. — 7 *Domini id est Iesu Christi* h, *Domini Iesu* Hartel. — 12 et in Iesu . . . contemnitur] uncis inclusit Routh, qui haec verba ad alium locum pertinuisse putat. — et in] *etenim* coni. Hartel. — 14 quamquam] ita ego, *quam* h r Rig., *quoniam* Bal. Routh Hartel. — 16 ita coni. Routh, *qui in eos Christus qui forte credere noluerunt* h r Rig. Bal. Hartel, *qui ob pseudo-Christos forte credere noluerunt* coni. Oxon. — 18 *qui r.* — 20 *quis* Bal. — 21 *hic est Christus* h.

[1] Sensus est: Haeretici in nomine Iesu baptizati, si eis postea in ecclesia catholica manus ad accipiendum spiritum sanctum imposita est, intrepidi mortem obire possunt. — [2] Matth. 24, 4. 5.

potest, etiam electi[1]. Quas virtutes non dubie tunc illi sub nomine Christi facient. In quo nomine videntur quidam etiam modo quasdam virtutes facere et falso prophetare. Sed certum est eos, quod ipsi non sint Christi, propterea ad Christum non pertinere; quemadmodum etiam si quis desciscat a Christo, inhaerens solo nomini eius, qui non multum adiuvatur, immo magis hoc nomine etiam oneratur, licet fuerit antea fidelissimus aut iustissimus aut clero[2] aliquo honoratus aut confessionis dignitate praeditus. Hi enim omnes negando verum Christum, introducendo aut sequendo alium, cum sit nullus omnino alius, nihil spei aut salutis sibi relinquunt, non aliter quam illi qui coram hominibus negaverunt Christum, quos negari necesse est a Christo, non habita ulla ratione ipsorum ex praecedenti conversatione eorum aut sensu aut dignitate, proinde atque ipsi ausi sunt Christum id est salutem suam abrogare, damnati per huiusmodi clausulam, quia manifestissime a Domino dictum est: Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum et ego coram patre meo qui in caelis est[3]. Ut verbum hoc quicumque etiam in clausula confessionis[4] plenissime nobis ostendit quod nulla conditio ipsius confitentis obesse possit, licet negator[5] ille antea vel haereticus fuerit vel audiens aut audire incipiens, qui nondum baptizatus sit, vel de haeresi ad veritatem fidei conversus vel ab ecclesia digressus et postea reversus sit, et tunc cum rediret prius quam ei manus ab episcopo imponeretur adprehensus confiteri Christum coram hominibus necesse habuerit, sic et iterum neganti Christum nulla propria vetus dignitas potest ad salutem patrocinari.

1 *posset* h. — 6 *[qui]* Hartel. — 8 *honoratur* r. — 15 ausi] *aut si* h r Rig. — 18 et ego] om. r, cfr. p. 60, 18. — 19 etiam] *enim* h. — 20 ostendit] ita ego, *ostendat* cet. — 24 *ac postea* h Rig. — prius quam] ita r Bal. Hartel, *prius* h Rig. et cod. Remensis (teste Rigaltio). — 26 sic et] ita ego, *sicut* cet.

[1] Matth. 24, 23 s. — [2] i. e. clericali munere. — [3] Matth. 10, 33. — [4] i. e. in verbis domini: qui me confessus fuerit squ. — [5] i. e. licet vel negator.

13. Quodcumque enim in homine ultimum in hac specie deprehensum fuerit, in illo quis nostrum iudicari necesse habebit, abolitis et obliteratis omnibus quae prius gessit. Et ideo cum in martyrio tanta sit mutatio rerum in momento temporis, ut in re perquam veloci possint mutari universa, nemo sibi blandiatur qui occasionem amiserit gloriosae salutis, si forte se ab ea excluserit propria sua culpa, sicuti et illa uxor Loth, quae similiter in angustiis rerum contra praeceptum angelorum tantummodo post se respexit et tumulus salis facta est. Qua ratione etiam ille haereticus qui confitendo Christi nomen trucidatur nihil postea potest corrigere, si quid de Deo aut de Christo male senserit, cum in alium Deum vel in alium Christum credendo semet ipsum fefellit, confessor non Christi, sed solitario Christi nomine, quando et apostolus consequenter dicat: Etsi corpus meum tradidero, ut exurar igni, dilectionem autem non habeam, nihil proficio[1]. Quia hoc facto nihil proficit qui non habet dilectionem eius Dei et Christi, qui per legem et prophetas et in evangelio in hoc modo praedicatur: diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota cogitatione tua[2], et: diliges proximum tibi tamquam te; in his enim duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae[3], sicut et Ioannes evangelista dicit: et omnis qui diligit ex Deo natus est et cognoscit Deum, quia Deus dilectio est[4]. Sicuti et Deus ait: Ita enim dilexit Deus mundum ut filium suum unicum daret, ut omnis qui in eum crederet non periret, sed haberet vitam aeternam[5], ut manifeste appareat eum qui hanc diligendi nos et

2 quis] *quisque* Hartel. — 3 *gesserit* h. — 14 *solitarii Christi nominis* coni. Routh. — 15 ut] ita h et Hans von Soden (Das lat. Neue Test. p. 273 et 280), *ita ut* cet. — 28 appareat] ita ego, *apparet* h r Rig., *appareret* Bal. Hartel. — *diligentis* Schueler.

[1] 1 Cor. 13, 3. — [2] Deut. 6, 5; Matth. 22, 37. — [3] Matth. 22, 39 s. — [4] 1 Ioh. 4, 7 s. — [5] Ioh. 3, 16.

diligendi[1] a nobis dilectionem in se non habeat inani confessione et passione nihil proficere, quoniam[2] et ipsum apparet et constat haereticum esse qui in alium Deum credat sive Christum alium accipiat quam quem scripturae novi et veteris testamenti manifeste praedicant, quae patrem omnipotentem creatorem omnium et filium eius sine obscuritate annuntiant. Eveniet enim eis ut alii ab alio Deo salutem exspectantes tunc demum contra opinionem suam a Christo Dei patris omnipotentis creatoris filio, quem blasphemaverunt, in poenam aeternam damnentur, cum iudicare Deus coeperit absconsa hominum secundum evangelium per Christum Iesum, eo quod in ipsum non crediderint, licet ipsius nomine abluti sint.

14. Et usque adeo omne illud haereticorum baptisma intercedente aliquo intervallo temporis corrigi potest, si quis supervixerit et fidem correxerit, ut Dominus noster in evangelio secundum Lucam ad discipulos suos locutus sit dicens: habeo autem aliud baptisma baptizari[3], item secundum Marcum ad filios Zebedaei eadem ratione dixerit: potestis bibere calicem quem ego bibo aut baptismate quo ego baptizor baptizari[4]? quod sciret homines non solum aqua verum etiam sanguine suo proprio habere baptizari, ita ut et solo hoc baptismate baptizati fidem integram et dignationem sinceram lavacri possint adipisci et utroque modo baptizari, aeque tamen unum baptisma salutis et honoris pariter et

2 quoniam et ipsum] ita ego, *quam ut ipsa* h r Rig. Bal., *quam ut ipsum* coni. Rig., *quoniam re ipsa* coni. Bal., *quum et ipsum* coni. Routh, *quando ipsum* Hartel. — 7 exspectantes tunc] ita coni. Routh, *exspectanti ut tunc* Hartel, *exspectanti tunc* cet. — 15 Dominus noster] ita coni. Routh, *Deus noster* Bal. Hartel, *Deum nostrum* cet. — 16 sit] ita ego, *est* cet. — 22 *dilectionem* h Rig. — 24 aeque] *aquae* r, *aquae* h.

[1] De gerundio passive usurpato agit Kühner, Ausf. Gramm. II[2] (1912) 729. — [2] *Quoniam* scribendum est, non *quando*, quia *quando* causaliter usurpatum et a Tertulliano (Hoppe, Syntax u. Stil des Tert. p. 78) et a Cypriano et in Libro de rebaptismate (ex. gr. p. 58, 21 et 64, 15) cum coniunctivo componatur. — [3] Luc. 12, 50. — [4] Marc. 10, 38.

aequaliter consequi. Quod enim dictum est a Domino: habeo aliud baptisma baptizari, hoc in loco non ut secundum baptisma ac si sint duo baptismata significat, sed alterius quoque speciei baptisma ad eandem salutem concurrens donatum nobis esse demonstrat. Quas utrasque species ab ipso Domino nostro primum initiari et sanctificari oportebat, ut nobis quoque alterutra sive utraque species unum hoc duplex[1] salutiferum atque honorificum baptisma praestaret, et viae quaedam unius baptismatis sic nobis patefierent, ut aliquando impune aliqua illarum deesset, sicut in verbum audientibus martyribus impune aquae baptisma deest, quos tamen certi sumus, si quid laxamenti habeant[2], etiam aqua solitos baptizari, itemque illis qui legitimi sunt fideles effecti impune deest baptisma sanguinis proprii, quia baptizati in nomine Christi redempti sunt pretiosissimo sanguine Domini, cum utraque haec ex uno atque eodem fonte procedant flumina baptismatis dominici, ut omnis qui sitit veniat et bibat, sicut scriptura dicit: Flumina de ventre eius currebunt[3] aquae vivae[4]. Quae flumina primum apparuerunt in Domini passione, cuius de latere perforato lancea militari sanguis et aqua manavit, ut emitteret duo flumina diversae speciei, sed tamen eiusdem ac singulare latus, ita ut impleatur spiritu sancto quicumque credens biberit ex utroque flumine. Haec enim de fluminibus his loquens ostendebat Dominus significans spiritum sanctum quem accepturi essent qui credituri erant in illum; nondum autem erat spiritus, quia Iesus non-

3 *si* om. h Rig. — 6 initiari] *ministrari* h Rig. — 7 hoc] *non* Hartel. — 18 currebunt] ita r (graece ῥεύσουσιν), *currebant* cet. — 19 cuius] ita r Bal. Hartel, *cum* h Rig. Routh. — 21 eiusdem] *idem* coni. Routh. — 23 *utrove* coni. Hartel.

[1] i. e. duplicis generis. — [2] i. e. si mora interposita occasio baptizandi adest, sicut sanctae Perpetua et Felicitas cum aliis in carcere baptizatae sunt (Acta Perp. et Fel. c. 2). — [3] Ps.-Cypr. de montibus Sina et Sion (Hartel III p. 115, 5): *fluebunt;* alia exempla vide apud Kühner, Ausführliche Gramm. I² (1912) 728. — [4] Ioh. 7, 38.

dum erat clarificatus[1]. Igitur dicens quemadmodum geminari potest baptisma quod apostolus unum esse praedicat, utique manifestum est illa ratione, quia diversae sunt species unius atque eiusdem baptismatis ex uno vulnere profluentis in aquam et sanguinem, cum illic duo sint de quibus locuti sumus baptismata, aquae ⟨et sanguinis⟩, id est unius atque eiusdem species, cum unum esse debeat baptisma uniuscuiusque speciei, sicut plenius sumus locuti.

15. Et quoniam videmur omne baptisma spiritale trifariam divisisse, veniamus etiam ad probationem narrationis propositae, ne videamur proprio sensu et temere hoc fecisse. Ait enim Ioannes de Domino nostro in epistola sua nos docens: Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus, non in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est qui testimonium perhibet, quia spiritus est veritas[2]; quia tres testimonium perhibent, spiritus et aqua et sanguis; et isti tres in unum[3] sunt[4], ut ex illis colligamus et aquam praestare spiritum solitam, et sanguinem proprium hominibus praestare spiritum solitum, et ipsum quoque spiritum praestare spiritum solitum. Nam cum effundatur aqua sicuti et sanguis, spiritus etiam effusus sit a Domino super omnes qui crediderunt, utique et aqua et nihilominus[5] proprio sanguine, tunc deinde et spiritu sancto

1 geminari] ita coni. Routh, *generari* cet.; cfr. p. 60,5: si eam ... geminare ausi fuerimus. — 3 quia] *qua* coni. Routh. — 6 et sanguinis] ita supplevit Routh, om. cet. — 8 speciei] ita ego, *species* cet. — 17 in unum] ita h r Rig. Routh, *unum* Bal. Hartel. — 18 spiritum solitam] ita Routh, solitam (sine *spiritum*) h r Rig., *spiritum solitum* Bal. Hartel. — 20 *nam et cum* h.

[1] Ioh. 7, 39 (οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα). — [2] 1 Ioh. 5, 6 ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια; Vulgata: quoniam Christus est veritas. — [3] graece: εἰς ἕν. — [4] 1 Ioh. 5, 6. 8. Ultima sententia graece ita est: Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα καὶ οἱ τρεῖς εἰς ἕν εἰσιν. Comma igitur quod dicitur Iohanneum neque in graeco textu neque in Libro de rebaptismate adparet. — [5] i. e. non minus.

possunt homines baptizari. Ait enim Petrus: Sed hoc est quod dictum est per prophetam: Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii eorum et filiae eorum et iuvenes visiones videbunt et seniores somnia somniabunt. Et quidem super servos et super ancillas effundam de spiritu meo[1]. Quem spiritum in veteri testamento non quidem passim nec effuse, sed communicatum cum aliis aut etiam sponte insiluisse in quosdam homines vel induisse eos vel fuisse super eos deprehendimus, sicuti Moysi de septuaginta presbyteris a Domino dictum esse animadvertimus: Et auferam spiritum qui super te est, et imponam super eos[2]. Propter quod etiam secundum pollicitationem suam Deus ab alio, ex spiritu qui super Moysen fuerat, imposuit super illos, et prophetaverunt in castris, quod Moyses ut homo spiritalis ita contigisse gaudebat, licet ab Iesu filio Nave ut huic rei intercederet invito suaderetur, et idcirco omnibus fuisse praeoptabat (?)[3]. Porro autem in libro Iudicum, item in Regnorum libris animadvertimus super plerosque aut fuisse spiritum Domini aut insiluisse in eos, tamquam super Gothoniel Gedeon Iephthe Samson Saul David et ceteros alios. Quod usque adeo ita se habet ut spiritus sancti sponte abscedendi ab eis libertatem ac facultatem manifestissime nos Dominus docuerit dicens: Spiritus ubi vult, spirat, et vocem eius audis et nescis unde veniat aut quo vadat[4]. Ita ut idem spiritus etiam super indignos quoque sui nonnumquam inveniatur esse, non utique otiose nec sine ratione, sed necessariae

14 ab alio] *ab alto* coni. Routh, *ablato* coni. Hartel. — 17 suaderetur] ita ego, *suadebatur* cet.; *licet* ceteris iisque multis locis huius libelli cum coniunctivo componitur. — omnibus fuisse praeoptabat] ita ego, *non fuisse permotus* cet. — 22 abscedendi] ita ego, *accedendi* cet. — 26 *etiam* om. h.

[1] Act. 2, 17 s. — [2] Num. 11, 17. 25. — [3] Num. 11, 29. Hoc loco Moyses ita loquitur ad Iosuen: 'Quid, inquit, aemularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet et det eis dominus spiritum suum'. — [4] Ioh. 3, 8.

alicuius operationis gratia; sicuti super Saul fuit, super quem factus est spiritus Dei et prophetavit, quamquam posteriore tempore[1], postquam recessit ab eo spiritus Domini et postquam angebat eum spiritus malignus a Domino, quoniam tunc ad hoc postremus venerat post nuntios quos ante assidue praemiserat ut interficeret David, qui idcirco inciderunt in chorum prophetarum et prophetaverunt, ne id quod iussi fuerant perficere possent aut vellent[2]. Quod admirabili ratione per voluntatem Dei spiritum qui super illos omnes fuit credimus operatum esse. Qui spiritus implevit etiam Ioannem baptistam adhuc ab utero matris suae, et incubuit super eos qui cum Cornelio centurione erant prius quam baptizarentur aqua. Ita dum cohaeret baptismati hominum spiritus aut antecedit aut sequitur vel cessante baptismate aquae incumbit super eos qui credunt, dat nobis consilium quod aut ex integro rite baptisma observare aut forte dato a quocumque in nomine Iesu Christi baptismate supplere id debeamus, custodita nominis Iesu Christi, sicuti plenissime exposuimus, sanctissima invocatione, custodita praeterea tanti temporis tot virorum veneranda nobis consuetudine et auctoritate.

16. Quoniam autem prima pars disputationis huius videtur explicata, etiam sequentem eius propter haereticos debemus attingere, quia perquam necessarium est eum tractatum qui semel in manus incidit non praeterire, ne forte eos qui sunt simpliciores ex fratribus aliquis haereticorum versutia sua audeat attentare. Nam quia Ioannes dixit nos baptizandos esse in spiritu sancto et igni, eo quod addiderit dicens et igni, idcirco quidam desperati homines ausi sunt usquequaque pravitatem suam porrigere et propterea homines nasutissimi quaerunt, quomodo

4 a Domino] sic cod. Remensis teste Rigaltio; 1 Sam. 16, 14: et exagitabat eum spiritus nequam a domino. — *ad hunc* coni. Routh. — 9 *omnes illos* h Rig. — 15 observare] ita h r Rig. Bal., *servare* Hartel. — 23 *simul* coni. Routh. — 29 nasutissimi] ita h Rig. Hartel, *versutissimi* r Bal. Routh.

[1] i. e. ulterioribus vitae eius temporibus. — [2] 1 Sam. 19, 21—24.

sanctitatis baptisma ita corrumpant ac violent ut etiam evacuent; qui originem iam exinde trahunt a Simone mago multiformi perversitate per varios errores eam exercentes. Cui Simoni Petrus in actis apostolorum dixit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia gratiam Dei existimasti per pecunias posse possidere. Non est tibi portio neque sors in sermone hoc; cor enim tuum non est rectum coram Deo[1]. Et agunt isti haec omnia dum fallere cupiunt eos qui sunt simpliciores aut curiosiores, et temptant nonnulli illorum tractare se solos integrum atque perfectum, non sicuti nos mutilatum et decurtatum, baptisma tradere, quod taliter dicuntur adsignare, ut, quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis appareat. Quod si aliquo lusu perpetrari potest sicut adfirmantur plerique huiusmodi lusus Anaxilai[2] esse, sive naturale quid est, quo pacto possit hoc contingere, sive illi putant hoc se conspicere sive maligni opus et magicum virus ignem potest in aqua exprimere: illi tamen talem fallaciam et stropham praedicant perfectum baptisma esse, quod fideles homines si coacti fuerunt accipere, utique non dubitabitur eos id quod habuerant amisisse, perinde ac si quis sacramento miles dicto desertis suis castris in hostium diversissimis castris longe aliud sacramentum velit dicere, hac ratione constat eum vetere sacramento exauctoratum esse.

17. Item si huiusmodi homo rursus ad te redeat, utique haesitabis utrum habeat baptisma necne; et tamen oportebit te huic quoque paenitentiam agenti quibuscumque modis potueris

6 possidere] ita h r Rig., *possideri* Bal. Routh Hartel: graece διὰ χρημάτων κτᾶσθαι; Cypr. test. III 100 (p. 178, 15): per pecuniam possidere; Vulgata: pecunia possideri. — 9 illorum] ita r[2] Bal., *iterum* h Rig., *eorum* r[1]. — 11 *dicantur* h Rig. — 19 *dubitatur* h Rig.

[1] Act. 8, 20 s. — [2] Anaxilaus, physicus et philosophus Pythagoricus, Larissae natus, propter artem magicam anno 28 ante Chr. ex Italia ab Augusto pulsus est (Hieron. chron. ol. 188, 1).

subvenire. Est autem adulterini huius immo internecini baptismatis si qui alius auctor, tum etiam quidam ab eisdem ipsis haereticis propter hunc eundem errorem confictus liber qui inscribitur PAVLI PRAEDICATIO[1]. In quo libro contra omnes scripturas et de peccato proprio confitentem invenies Christum, qui solus omnino nihil deliquit, et ad accipiendum Ioannis baptisma paene invitum a matre sua Maria esse compulsum, item cum baptizaretur ignem super aquam esse visum, quod in evangelio nullo est scriptum, et post tanta tempora Petrum et Paulum post conlationem evangelii[2] in Hierusalem et mutuam cogitationum altercationem et rerum agendarum dispositionem postremo in urbe quasi tunc primum invicem sibi esse cognitos, et quaedam alia huiuscemodi absurde ac turpiter conficta, quae omnia in illum librum invenies congesta. Qui autem non ignorant spiritus sancti qualitatem, intellegunt, quod dictum est de igni, de ipso spiritu dictum esse. Nam in actis apostolorum secundum hanc eandem promissionem Domini nostri ipso die Pentecostes cum descendisset spiritus sanctus super discipulos, ut in illo baptizarentur, visae sunt insidentes super singulos linguae quasi ignis, ut constaret eos spiritu sancto et in igne baptizatos, hoc est eo spiritu qui esset sive ignis sive quasi ignis, qualis ignis fuit qui in rubo ardebat et rubum non comburebat qualisque est ille ignis qui est angelorum spiritus, sicut scriptura dicit: Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem ardentem[3]. Cui cum similis

4 Pauli] ita codex Remensis (teste Rigaltio), Oxon. Routh Hartel; *Petri* r Rig. Bal. (Bal. in adn. hanc lectionem improbat). — 11 cogitationum] ita coni. Routh, om. h Rig., *cogitationem et* r Bal. Hartel. — 19 ut] ita Bal., *et* h r Rig. — 22 *de rubo* h.

[1] De hoc libro, cuius nullo alio loco mentio fit, agit *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit. I² 549 s. Alii scripserunt 'Petri praedicatio', qui liber commemoratur a Clemente Alexandrino saepius (ex. gr. Strom. I 29, 182; II 15, 68) et a Lactantio (inst. div. IV 21). — [2] Gal. 2, 2: et contuli cum illis evangelium. — [3] Ps. 103, 4.

aut socius aut particeps fueris, poteris nullum ignem timere nec illum quidem qui antecedens Domino in die iudicii conflagrabit totum orbem terrae absque eis qui baptizati sunt in spiritu sancto et igni.

18. Et hominibus quidem spiritus perseverat hodie invisibilis, sicut Dominus dicit: Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat vel quo vadat[1]. Sed in principio mysterii fidei et spiritalis baptismatis hic idem spiritus manifeste visus est et super discipulos insedisse quasi ignis, item caelis apertis descendisse super Dominum columbae similis. Quoniam pleraque immo paene omnia quae essent futura manifesta sunt[2]; quae tamen modo essent invisibilia, nihilominus nunc quoque oculis et incredulitati hominum vel ex parte vel aliquando vel in figura sunt monstrata ad corroborandam et confirmandam fidem nostram. Sed nec illud omiserim quod evangelium merito praedicat; ait enim paralytico Dominus noster: bono animo esto, fili, dimittuntur tibi peccata[3], ut ostenderet fide emundari corda ad remissionem peccatorum consequendam. Quam remissionem peccatorum consecuta est etiam illa quae erat mulier peccatrix in civitate, cui Dominus ait: dimittuntur tibi peccata; et cum coepissent qui simul discumbebant apud semet ipsos dicere: quis est hic qui peccata dimittit? — quod et circa paralyticum acerbius scribae et Pharisaei obmurmuraverant —, ait ad mulierem Dominus: Fides tua te salvam fecit, vade in pace[4].

Ex quibus universis ostenditur fide emundari corda[5], spiritu autem ablui animas, porro autem per aquam lavari

10 similis] ita coni. Routh, *similem* cet. — 13 *credulitati* coni. Routh. — 15 illud] ita h r Rig., *aliud* Bal. Hartel. — 18 fide emundari] ita Rig., cfr. infra lin. 27, et von Soden, Das lat. Neue Test. p. 283; *fidem mundari* r, *fide mundari* h Bal. — 20 etiam] om. h r Rig. — 21 *remittuntur* r. — 28 lavari] ita Bal. Hartel, *lavacri* h r Rig.

[1] Ioh. 3, 8. — [2] supple: hodie. — [3] Matth. 9, 2. — [4] Luc. 7, 48—50. — [5] Act. 15, 9.

corpora, sanguine quoque festinantius perveniri per compendium ad salutis praemia.

19. Puto nos plene exsecutos praedicationem baptistae Ioannis, unde sermonem sumus exorsi, qui dixit ad Iudaeos: Ego quidem vos baptizo aqua in poenitentiam; qui autem post me venit fortior me est, cuius ego non sum dignus solvere corrigiam calciamenti; ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni[1]. Arbitror autem et apostoli Ioannis doctrinam nos non inepte disposuisse, qui ait: Quia tres testimonium perhibent, spiritus et aqua et sanguis, et isti tres unum sunt[2]. Nisi fallor autem etiam illud explanavimus quod Dominus noster ait: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in spiritu sancto[3]. Praeterea existimo nos non infirmam rationem reddidisse consuetudinis causa[4]. Tueamur tamen, etsi posteriore loco id facimus, ne qui putet nos unico articulo praesentem altercationem suscitare. Quamquam haec consuetudo etiam sola deberet apud homines timorem Dei habentes et humiles[5] praecipuum locum obtinere.

5 poenitentiam] sic (oe) h r Rig. Bal. — 11 unum] sic (supra p. 67, 17: *in unum*) h r Rig. Bal. — 14 *ratione* coni. Routh. — 15 causa] ita ego, *causam* cet.

[1] Luc. 3, 16. — [2] 1 Ioh. 5, 8. — [3] Act. 1, 5. — [4] i. e. ad consuetudinem confirmandam. — [5] supra p. 43, 8: necessaria humilitate.

INDEX VERBORUM.

a) TERT. DE BAPTISMO.

Adfectatio 23, 4
adlectio 33, 5
aemulus dei (= diabolus) 23, 4; 32, 13
agape 28, 22
angelus baptismi 24, 18 ss.
antepraecursor (Iohannes) 24, 19; 31, 11
arbiter 25, 1. 5
aspis 16, 11
avius 23, 7

baptismum **35, 3**
blandiri **22, 10**

candidatus **30, 4**
canere (= portendere) 24, 5
capit (= potest) **35, 11**
census (= res) 36, 19
coacte 32, 19
compendium 33, 6
concorporatio 27, 1
conflictatio 40, 10
cum maxime (= quam maxime) 16, 4

denique (= itaque) 29, 20
dicare 37, 1
digerere (= agere) 35, 13
digestum (= liber) 16, 4
dignatio 18, 16; 19, 4; 38, 6. 16
digne **35, 5**
diluere (= abluere) 20, 18; 21, 11
discens = discipulus 29, 3; 31, 13; = laicus 36, 18

euripus 23, 8
exertus 38, 6
exhortatus (= admonitus) 38, 12
extraneus = ethnicus 21, 13; = haereticus 35, 6

factitare 35, 16
formare (= informare) 16, 5

Gaiana haeresis **16, 8**
geniculatio 40, 5
gestatio 23, 6

humectus 19, 18
hydrophobus 23, 10

impressus 38, 9
incubare 23, 6
individuus **33, 5**
inpossibilitas 18, 12
insidere 20, 11
integre **17, 2**
intercidere 35, 1
Isis 22, 2
Israel Iudaeus **35, 15**
ἰχθύς (= Iesus Christus) **16, 12**

lavatio 22, 3
ludi Apollinares et Eleusinii 22, 5
lymphaticus 23, 10

maiores (= episcopi, presbyteri, diaconi) 36, 21
mandatu 29, 16

medietas 19, 11
mediocritas 29, 7
Mithras 22, 2
modulatrices aquae 19, 9
monstrosus 17, 2

nympholeptus (in coniectura) 28, 10

obducere 17, 7
obliquare 27, 7
orbatio 34, 9
organum 27, 3
obsignatio 33, 22

peculium 41, 6
pisciculus (= homo baptizatus) 16, 12; 17, 3
portare sanguinem **36, 9**
praecursor 31, 6
praedicare (= predigen) 30, 23; 34, 23–25
praedifficilis 18, 9
praeministrare 29, 19; 31, 3
praerogativa 20, 22; 33, 5
praescriptio 18, 4; 31, 21. 25
praestructio 28, 5
praestruere 40, 11
procrastinare 39, 4

quaestiuncula 29, 9
quatenus = quia 32, 3; = ut finale 36, 7

reguli serpentes 11, 11
remediare 24, 8; 28, 13. 15
repraesentare (= efficere) **36, 10**
retexere **34, 27**
retractare 35, 5
retractatus 31, 20

si (= num) **18, 2**
struere 29, 8; 31, 10
subiacere (= praesto esse) **41, 6**
subostendere 39, 17
sucidus 19, 18
suggestus (= ornatus) 17, 15; 18, 19
superferre 20, 8
supervectari 20, 6

Thecla 37, 12
transversim 27, 7

vagatio **39, 5**
ventilare 34, 27
viduus (= inutilis, ψιλός) 22, 1.

b) PS.-CYPR. DE REBAPTISMATE.

Adgredi tractatum 45, 3
adstringere periculis 49, 14
adtentare 44, 15; 69, 25
adulterinus 71, 1
advolare suppliciter ad ecclesiam 42, 7
alienus (i. e. extra ecclesiam) 59, 16; cfr. extraneus
altercatio 71, 11
Anaxilaus 70, 6
argumentis paribus congredi 44, 11
audentius 62, 5
audiens verbum (= catechumenus) 60, 10. 19; 66, 10; audiens aut audire incipiens 63, 22

baptismum exercere 45, 8

calumnias nectere 43, 26
circa. Iohannem 68, 11; paralyticum 72, 23
claudicare, in fide 53, 3; in aliquo 53, 19
clausula 63, 16

clerus, quicumque 43, 30; minor 49, 17; 59, 14; aliquis 63, 8
concurrere ad eandem salutem 66, 4
conferre spiritum sanctum 47, 11; 48, 5
conglutinare 44, 26
coniti 44, 19
consistit mysterium 46, 26
continens: in continenti (= statim) 47, 18
continuare vitam hanc cum illa 56, 9
controversia emergit 43, 6
conversari 52, 1; 56, 9
conversatio 52, 13; 58, 16; 63, 14
corrigere ab errore 53, 15

decurtatus 70, 11
defungi (= mori) 48, 7
deterius delinquitur 44, 6
devotare 57, 12
dimidiatus 49, 10
dispendium 52, 20
dubie: non dubie 51, 10; 53, 22; 63, 1

emeriti sancti 43, 13
exauctorare 70, 23
excidere a salute 53, 6
extranei (= infideles) 54, 4; cfr. alieni

festinantius 73, 1
foris (= extra ecclesiam) 42, 11
futilis 54, 1

geminare baptisma 60, 5; 67, 1

habeo baptizari 46, 6; 65, 21; 66, 1

id ipsum (= idem) 44, 18
ignominiam adscribere 44, 16
incontaminatus 61, 3
increpatio 57, 8
insidere super 71, 19; 72, 9
insilire in aliquem 68, 9. 20
insinuare 45, 2
insufflare 47, 15
integer: ex integro 43, 1; 69, 15
intercipi morte 48, 6
internecinus 71, 1

latius tractatu procedere 48, 20; latius consistere 48, 21
latus: e contrario latere tractatus huius 50, 25
laxamentum 66, 12
locus contradictioni 43, 9

maculam infligere 44, 15
mansio 55, 13
mediocritas, nostra 44, 27; humana 55, 15
momentum: in momento temporis 64, 4
monstri simile est 44, 1
mutilus 47, 6
mysterium, fidei (= baptismus) 49, 10; 59, 2. 5; 72, 7; dei 52, 13; dominicum 54, 14.

nasutus 69, 29
nihilominus (= non minus) 67, 23

obliterare 64, 3
orsus (= initium) 45, 14

Pauli Praedicatio 71, 4
percensere 45, 21
persona: in personam 42, 5; 60, 10; ex persona 54, 26
plenissime, docere 50, 12; exponere 69, 17; ostendere 49, 19
plurimi quanti 43, 26
pollicitatio 68, 13
porrigere (= extendere) 69, 28
praecordiis totis 42, 7
praedicare (= predigen), aliquid 64, 19; 65, 5; 72, 16; de aliquo 52, 27
praedicatio (= Predigt) 45, 5; 46, 8; 50, 17; 73, 3

praerogativa 51, 15
praestare, baptisma 66, 8; spiritum 67, 18—20; salutem 52, 9; vitam aeternam 56, 7
praesternere 45, 7
probatio (= argumentum) 46, 18; 55, 18

quam mox (= simulatque) 70, 12
quandoquidem 50, 17
quantum poterit (supple: fieri) 44, 26

repromissionis gratia 50, 19
residuus 61, 26. 29.

salutem, abrogare 63, 15; adimere 49, 11; percipere 47, 20; praeripere 49, 9
scabra, fides 53, 17
sensim 45, 8
signum, fidei (= baptismus) 42, 14; 59, 24; ad integritatem signi praestandam 52, 15
simultas 43, 17
sincerata fide 51, 9
sinceriter 52, 3
singulariter 47, 6
solitarius 47, 6; 64, 14
solitum est (= solere) 48, 8; 49, 7; 53, 27; 67, 18—20
stropha 70, 18
stupore haereticorum praeditus 43, 21
subterfugere 56, 6

trifariam 67, 9

vacuus (= sine sacramento) 49, 19
variare in sententia 53, 3
vice pari 60, 21.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

Florilegium patristicum digessit, vertit, adnotavit Gerardus Rauschen.

Fasc. I. Monumenta aevi apostolici. Ed. altera emendata. 1914. VI, 81 S. Mk. 1.80, kartoniert Mk. 2.—.

Fasc. II. S. Justini apologiae duae. Ed. altera aucta et emendata. 1911. IV, 135 S. Mk. 2.20, kart. Mk. 2.40.

Fasc. III. Monumenta minora saeculi secundi. Ed. altera emendata. 1914. IV, 122 S. Mk. 2.20, kart. Mk. 2.40.

Fasc. IV. Tertulliani Liber de praescriptione haereticorum, acced. S. Irenaei adversus haereses III 3/4. 1906. IV, 69 S. Mk. 1.—, kart. Mk. 1.20.

Fasc. V. Vincentii Lerinensis commonitoria. 1906. IV, 71 S. Mk. 1.20, kart. Mk. 1.40.

Fasc. VI. Tertulliani apologetici recensio nova. Editio altera emendata. 1912. IV, 144 S. Mk. 2.40, kart. Mk. 2.60.

Fasc. VII. Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima. Ed. altera emendata. 1914. IV, 181 S. Mk. 3.60, kart. Mk. 3.80.

Fasc. VIII. M. Minucii Felicis Octavius. 1913. XIV, 64 S. Mk. 1.40, kart. Mk. 1.60.

Fasc. IX. Textus antenicaeni ad primatum Romanum spectantes. 1914. XVI, 60 S. Mk. 1.30, kart. Mk. 1.50.

Fasc. X. Tertulliani De paenitentia et De pudicitia recensio nova. 1915. IV, 104 S. Mk. 2.—, kart. Mk. 2.20.

Fasc. XI. Tertulliani de baptismo et Ps.-Cypriani de rebaptismate recensio nova. 1916. IV, 77 S.

Das *1. Heft* enthält eine Auswahl aus den Apostolischen Vätern, darunter vollständig die Lehre der zwölf Apostel, den Römerbrief des Ignatius und das Martyrium Polycarpi. — Das *2. Heft* enthält den vollständigen griechischen Text der beiden Apologien Justins mit lateinischer Übersetzung. — Im *3. Heft* stehen vollständig: das Muratorische Fragment, die sog. Logia Jesu, das 1892 aufgefundene größere Bruchstück aus dem Petrusevangelium, dann das Protevangelium des Jakobus, ferner die Aberkiosinschrift und einzelne griechische Märtyrerakten, besonders die neuentdeckten des Apollonius. — Das *4. Heft* bringt Tertullians dogmatisch wichtigste Schrift De praescriptione in neuer Textrezension und im Anhang Irenaeus adversus haereses III 3/4. — Das *5. Heft* bietet die Commonitoria des Vinzenz. Die vier vorhandenen Handschriften wurden für diese Ausgabe neu verglichen. — Für die Ausgabe von Tertullians Apologetikum im *6. Heft* wurden die Pariser Handschriften und die Handschrift von Montpellier neu verglichen und namentlich die Varianten des verlorenen Codex Fuldensis genau untersucht. So ist ein ganz neuer Text entstanden. — Das *7. Heft*, das umfangreichste von allen, enthält 11 Schriftstücke aus den vier ersten Jahrhunderten, die sich auf die Sakramente und besonders auf die hl. Eucharistie beziehen: darunter vollständig die mystagogischen Katechesen Cyrills, die Schrift des Ambrosius De mysteriis und Ps.-Ambrosius De sacramentis. — Das *8. Heft* bringt den schönsten Dialog aus dem christlichen Altertum in neuer Textgestalt mit reichlichen Anmerkungen. — Das *9. Heft* enthält die Literatur aus den drei ersten Jahrhunderten über den römischen Primat vollständig, die griechischen Texte mit lateinischer Übersetzung. — Das *10. Heft* bringt die für das altchristliche Bußwesen sehr wichtigen Schriften Tertullians De paenitentia und De pudicitia, über die in letzter Zeit viel gestritten worden ist.

87682a 281.3
T 279 Q.r
Tertullianus, Q.S.F.
De baptismo
281.3
T279.b.1
87682a

C0-AVW-546